



BIB. COLL.
PICTAV. S. J.



AD PATRES AC FRATRES

SOCIETATIS JESU

DE

PLENA COGNITIONE INSTITUTI

OPUSCULUM

P. ACHILLIS GAGLIARDI.



Namurci.

E TYPOGRAPHIA F. DOUXFILS BIBLIOPOLÆ.

1841

Opusculum, quod adhuc in tenebris latebat, nec nisi paucis exemplis descriptum calamo, non sine mendis plurimis, paucorum in manibus versabatur, correctum jam et emendatum, typis excusum, prodit in lucem ad communem omnium utilitatem. Auctor P. Achilles Gagliardi, insigne lumen primævæ Societatis, et clarum in Annalibus nostris nomen. Vir doctrina et pietate præstans, cum totam pæne vitam in gubernandis vel certe dirigendis Nostris exigeret, hanc Societatis quamdam veluti formam sibi suisque delineaverat, ex ipso Instituto accurate expressam, in quam scilicet intuentes, ad perfectionem vocationis hujus propriam se vitamque omnem suam componerent. Quod si cui forte in sublimi posita hæc tanta perfectio videatur, recte quidem ille et plane ex vero judicabit; nihil tamen hic reperiet, quod Institutum ipsum a nobis non requirat. Fructum certe duplicem ex hac plena Instituti cognitione capere omnes possumus ; alterum humilitatis, cum quam multa nobis ad tantam perfectionem desint, considerabimus; alterum animi generosi ac serii conatus, ut saltem eo tendamus, et sine pigritia, et sine intermissione tendamus. *Visum est autem hoc tempus, quo novum seculum ingressa Societas est, huic opellæ Nostrorum usui publicandæ maxime opportunum.*

PROOEMIUM OPERIS.

QUOD NECESSARIA SIT PLENA COGNITIO INSTITUTI.

Valde proprium est nostri instituti, maximeque necessarium, ut qui illud profitentur ejus plenam et perfectam habeant notitiam (1). Nam ad hoc ipsum præscribit P. Ignatius, ut qui ad Societatem examinantur, res omnes nostri Instituti juxta ipsorum gradum bene percipiant (2); et qui illos examinant, cognitionem rerum Societatis habeant (3); quin etiam, ut in prima probatione videat unusquisque et consideret maturius diplomata apostolica Instituti Societatis (4), et Constitutiones ac regulas; quod ut melius præstet, diebus aliquot (5) secessus ei præcipitur; et ut (6) sexto quoque mense per biennium eadem legat, de illis examinetur (7), factumque examen adnotetur; et ante ipsa vota, quo melius hæc eadem præstet, per unius hebdomadæ spatium præmittat Exercitia, et Confessionem generalem. Huc (8) quoque spectant exhortationes, quæ singulis hebdomadibus vel saltem decimoquinto quoque die haberi debent, et (9) lectio Summarii Constitutionum et Regularum singulis mensibus; (10) tertius quoque annus probationis post finem studiorum; item (11) quod antequam quis

(1) Exam. Cap. 1. §. 13. et Cap. IV. §. 41. et part. I. Cap. IV. V et VII. Reg. 15. Mag. Novit. et Bulla I. Pauli III.
(2) P. I. Cap. IV. §. 3.
(3) P. I. Cap. I. §. 4.
(4) P. I. Cap. IV. §. 5.
(5) Exam. Cap. I. §. 13. et Cap. IV. §. 41.
(6) Reg. Mag. Novit. 63.
(7) Ibid.
(8) P. III. Cap. I. §. 28.
(9) P. X. §. ult. et summ. §. 52.
(10) Exam. Cap. I. §. 12. et alibi.
(11) Exam. Cap. IV. §. 41. et Bulla I. Paul. III.

admittatur ad Gradum, denuo præstet, quæ præstiterat ante vota post biennium. Demum huc facit, quod in bulla I. Instituti etiam dicitur, Professos semper debere *ante oculos habere hujus sui Instituti rationem.* Et merito quidem hæc inculcantur; nam nova est hujus Instituti ratio, atque ad intelligendum et præstandum difficilis; ampla præterea ac varia complectens, et tam ratione sui finis, quam mediorum valde sublimis.

Duplici autem modo haberi posse hanc notitiam innuit P. Ignatius : altero, ab imperfectioribus ad perfectiora ascendendo, qui est ad praxim, quam ipse præcipue spectabat, accommodatus; altero e contrario, a fine descendendo ad media, qui est scientiæ proprius. Priorem ipse in Constitutionibus secutus est, tanquam sapiens architectus, qui tum Societatis ædificium construeret. Posteriorem vero in hoc opusculo nos sequemur, quem et in examine sequitur P. Ignatius, ubi Instituti rationem præcipue explicare intendebat. Quin et in Constitutionibus hunc modum crebro observat, eumque etiam præ oculis habuisse videtur dum illas conderet, et ex eo sapienter illas deduxisse. Hoc autem nedum utile, sed etiam valde necessarium nobis visum est.

Primo quidem, ut brevior, clarior, et solidior Instituti cognitio habeatur ab omnibus; unde fiet, ut ad rationem (ut par est) de eo reddendam promptiores simus, et longe paratiores ad illud vindicandum a calumniis eorum, qui, quod ipsum sit præter commune jus, multaque habeat et nova et implicata, ipsisque minime perspecta, falso quodam pietatis zelo acti libenter (quod experimur) oppugnant.

Deinde (1), ut Superiores, quorum prudentiæ, ac judicio plurima in nostra Societate relinquuntur, recte Constitutiones interpretari, et in eis dispensare possint. cum opus fuerit. Ad hoc enim præstandum, ipsæmet Constitutiones exigunt, ut finem earumdem intueamur; quod hoc genere notitiæ maxime consequimur.

Præterea, cum Constitutiones nostræ, ut in Proœmio De-

(1) P. IX. Cap. III. §. 8. et D. et P. IV. Cap. X. et B.

clarationum ait P. Ignatius, sint universaliores ac breviores, ac proinde innumera particularia ex eis deducere necesse sit (ad quod etiam Declarationes ipse conscripsit), ad id recte præstandum, quod maximi momenti est, prædicta notitia per modum scientiæ videtur apprime opportuna.

Plurimum etiam juvat ad Canones et Decreta facienda, ad Congregationes, ad legitimum Epikeiæ usum nostro Instituto consentaneum, et omnium maxime ad illibatam (1) traditionem, et procedendi modum Societatis retinendum et conservandum, juxta primum ejus spiritum, ne illum religiosæ perfectionis adversarius (quod facile accidere posset), per declarationes falsas et innovationes, primo illi spiritui minime consentaneas, aut immutet, aut labefactet.

Hinc demum is nascetur fructus, ut propriæ quasi notæ Instituti dispiciantur, et (2) ad illud magis afficiantur Nostri, et stabiliores ac firmiores in sua vocatione permaneant, acriusque simul et facilius contendant ad eam, quam maxime cupimus, unionem cum Deo.

CAPUT I.

DE SEX PRINCIPIIS, EX QUIBUS TOTA INSTITUTI NOSTRI RATIO ATQUE NOTITIA ERUITUR.

Esse aliqua *principia*, ex quibus nostrum hoc Institutum totum constat, ita ut ex iis tamquam ex fontibus ejus notitia debeat hauriri, ne peregrino aliquo spiritu ducamur, tanquam certum in primis nobis est supponendum. *Sex* autem et præcipua et maxime propria nobis videntur. Vel enim *interna* sunt, ut Exercitia spiritualia, ex quibus per divinum quoddam internum lumen Patri nostro Ignatio primus hujus Instituti spiritus videtur a Deo fuisse communicatus, et ejus impressa quædam quasi forma atque notitia; vel *externa*, et hæc vel

(1) P. VI. Cap. II. §. I.
(2) Exam. Cap. I. §. ult. et P. I. Cap. IV. §. ult.

tradita vel *scripta*. *Tradita* (1) quidem, ut quæ ex vita Patris Ignatii, primorumque Patrum nostrorum didicimus, aut quæ ex modo procedendi Societatis hausimus; *scripta* vero, ut Bullæ, Constitutiones, et Congregationum Decreta.

§. 1. *Exercitia* vero esse omnium *primum* multis ex nominibus patet. *Primo* quidem, quia formatio hominis interioris, quæ est opus Dei, et ab Ipso fit per communicationem immediatam est maxime propria Instituti nostri, et tamquam ex primo et genuino proprio fonte ab Exercitiis habetur; quæ quidem Exercitia Spiritualia nostrum continere videntur Institutum, nempe : et *finem*, et *media* et *directionem in gubernatione*. Nam *finis*, et *media*, quibus Societas utitur, clare eruuntur, et ex Fundamento Exercitiorum, et ex cæteris Exercitiis. *Media* porro sunt, imprimis abnegationis studium, quod ex prima hebdomada; dein veræ perfectæque virtutes, quæ ex tota via illuminativa colliguntur, maxime autem ex meditationibus *De regno Christi* et *De duobus Vexillis*; ex quibus item modus tractandi cum proximo sumitur, exprimunturque Societatis munia; hæ enim non tam videntur formæ ad meditandum, aut rerum præteritarum recordatio, quam praxes ipsæ, et expressa signa Instituti, et rerum per ipsum Patrem Ignatium, et ejus alumnos gerendarum. *Ratio* quoque habetur *gubernationis* nostrorum Superiorum, tum ex modis eligendi, et ex regulis discernendorum spirituum, tum etiam ex regulis tradendi Exercitia, quibus perfecte quis instituitur de modo tractandi interiorem hominem, id quod est in gubernatione Societatis præcipuum. Exprimunt præterea Exercitia novitiatum nostrorum hominum, ut in 1. hebdomada; tum reliquos status, ut in hebdomada 2. 3. et 4. *Secundo*, quia formationem interioris hominis, qui per communicationem immediatam a Deo in nobis formatur, quæque est Instituti quædam veluti anima, ratio, et lex, quamque P. Ignatius (2) omnibus Constitutionibus externis anteponit, Exercitia spiri-

(1) Exam. Cap. IV. §. 1. et 26.
(2) Proœm. Const.

tualia, non solum suis quasi coloribus adumbrant, sed etiam efficiunt. Hoc autem ideo præstant Exercitia, quia et lumen nobis præferunt ad claram et pleniorem Instituti notitiam, et ad illius praxim maxime afficiunt.

§. II. Cum autem omnia, quæ pertinent ad nostrum Institutum, et quæ postea in Constitutionibus sancita sunt, Deus in vita P. Ignatii et Sociorum factis plane et perfecte expresserit, satis liquet quam merito ipsum primum inter *externa principia*, et novum veluti fontem Instituti existimemus, quo et P. Ignatius utitur in Examine c. IV. §. 26. et P. VII. Const. c. I. et B.

§. III. Traditionem autem quam hic *tertium* principium facimus, vocamus eam, quæ vel ex forma vivendi P. Ignatii et primorum nostrorum Patrum, vel ex moribus universæ Societatis habetur, sive eam quasi per manus traditam, sive scripto habeamus, sive in regulis tum communibus, tum particularium officiorum cernamus expressam, tum ab ipso P. Ignatio (1) in Constitutionibus, tum in decretis Congregationum usurpatam. Et merito sane, quod ex hoc præcipue pendet ne dum nostræ, sed omnium Religionum conservatio, quæ si quid a primario spiritu defecerunt, non id accidit ex defectu legum scriptarum, sed quia paulatim admiserunt abusus contra primas et paternas suas traditiones.

§. IV. Bullas vero, Constitutiones, et Congregationum Decreta, fontes esse planius est, quam quod probatione indigeat aut longiori explicatione; modo tamen hæc, sicut et reliqua superius posita, recte intelligantur, et vero Societatis spiritu expendantur, ut ex his, quæ propria sunt nostri Instituti, sapienter deducantur, quod et est maximi momenti in hac causa, et nobis toto hoc opere præcipuum.

(1) Exam. Cap. I. §. 8. P. IV. Cap. I. A. et Cap. II. et Cap. VII. §. 2. P. VI. Cap. IV. §. 3. et C.

CAPUT II.

DE ORDINE PROCEDENDI IN HOC OPERE.

Quoniam Societas Congregatio quædam est multorum sub uno capite, tam propriam quam proximorum salutem ac perfectionem, ad majorem Dei gloriam, tanquam ad ultimum finem, procurantium; reddituri nos rationem ejus Instituti, quoad ejus fieri potest, sapienter et, per modum scientiæ congruum, ex suis principiis; a fine ordiemur, quod in rebus moralibus summum principium est, ex quo cætera pendent; tum reliqua prosequemur, ab ipso illa deducendo. Duabus itaque partibus hoc Opusculum, nostris omnibus destinatum, absolvemus, in quarum priore de *Fine* Societatis, in posteriore de *Mediis* tractabitur.

PARS I.

De Fine Societatis.

Finis hujus (1) Societatis est, saluti ac perfectioni propriæ et proximorum, ad (2) majorem Dei gloriam, incumbere. Ubi duo sunt, quorum alterum ac præcipuum est major Dei gloria. Hanc autem quoniam non inanem aut abstractam quærimus, nec quolibet opere aut modo, sed Nostris proprio, idcirco alteram addimus partem, nempe procurationem salutis ac perfectionis tum propriæ, tum alienæ. Etenim gloria Dei est finis omnium creaturarum 1. latissimo quodam modo, quatenus, illis etiam invitis, et non cooperantibus, Deus immensa sua pietate et bonitate, eam ex ipsismet colligit. Sic nedum ex pœna etiam inferni, sed vel ex ipsa culpa, Dei gloria sequitur. Prætcrea 2. magis proprie, cum ipsamet creatura, per proprium opus, Deo dat gloriam, quod inanimatis rebus, et irratio nalibus est commune; sic *Cœli enarrant gloriam Dei.* 3. Ex

(1) Exam. Cap. I. §. 6. Cap. XVII. §. 8.
(2) P. III. Cap. I. §. 1. et P. I.

electione, per opus ex divina gratia, quod fidelibus omnibus est commune. 4. Cum per excellentiora quædam opera, nempe consilii, qualia sunt Religiosorum omnium in statu perfectionis, qui Votorum observatione, perfectam charitatem et divinam gloriam, tanquam ultimum finem, cum reliquis virtutibus quærunt. Hoc autem *duobus modis* esse potest; *uno* modo, certo quodam vivendi genere ac statu, determinato ad aliquod opus peculiare, v. g. ad hospitalitatem, solitudinem, asperitatem vitæ, honoris contemptum, doctrinam, divinum cultum, contemplationem et similia id generis. *Altero*, ut ad nullum certum opus coarctetur vel determinetur, sed latissime patens ad omne opus bonum se extendat, quale est salus et perfectio propria et omnium aliorum. Inter hos autem modos hoc differt, quod priori divina gloria, ut dicitur, determinatur, et quasi coarctatur ad illud opus, cum in illo et per illud tantum, rejectis reliquis, quæratur; posteriori vere tota assumitur illimitata et indeterminata, scilicet quocumque (1) operis ac (2) virtutis genere, et modo, quo haberi potest. Hoc autem modo posteriori intelligimus divinam hanc gloriam esse nostri Instituti finem proprium.

§ I. Hinc sequitur, quod qui divinam gloriam priori modo quærunt, etsi illam pro ultimo fine habeant, et opus illud ad quod præcipue incumbunt, faciant ex vi proprii Instituti, non faciunt tamen gloriam Dei mensuram illius operis, quod sibi præfixerunt, et aliorum operum suorum; sed e converso potius divinam gloriam sibi ex illo opere metiuntur; ita ut tantum divinæ gloriæ nec amplius quærant, quantum natura fert illius operis, quod ut finem habent. Unde fit ut divina gloria non sit illis mensura operum Instituti; sed mensura ipsis sit opus illud præcipuum, puta solitudo, et hospitalitas, etc., cum ordine tamen ad Divinam gloriam, tamquam circumstantiam quamdam illius et perfectionem. Nobis autem Divina gloria, cum in tota latitudine sua sit finis, ipsa mensura est, et (3) sa-

(1) P. IV. Procem. A. et P. VII. Cap. II. §. 1. et D.
(2) P. III. Cap. I. §. 21. et P. VI. Cap. I. §. 1.
(3) P. VIII. Cap. I. §. 1.

lutis ac perfectionis nostræ quærendæ, et aliorum. Nam quia nullum aliud opus est nec esse potest præstantius, in quo Divina gloria magis eluceat, quam hoc, utpote quod finis est mysteriorum omnium gratiæ et meritorum Christi, Scripturarum divinarum, militantis et triumphantis Ecclesiæ, Dei denique ipsius in omnibus suis operibus, tum naturæ, tum gratiæ; ideo Societas nostra hoc sibi opus potius eligit, in quo Divinam gloriam quærat, aliud (1) assumptura, si qnod Deo gratius, dignius, ac sublimius inveniri posset. Quin etiam gloria Dei mensura est propria ac immediata (2) cæterorum omnium, quæ vel ad Institutum pertinent, vel ex Instituto fiunt; per quam omnes nostras particulares actiones, et deducimus, et metimur, illam in singulis semper spectantes et expendentes. Et quamvis in aliquo fine particulari et proprio mensurentur necessario singula particularia nostri Instituti; non tamen fines isti mensurantur nisi quatenus mensurantur per Divinam gloriam, ut supremam mensuram, omnia et singula mensurantem, ipsa non mensurata. Hinc toties repetitur Divina gloria a P. Ignatio etiam in particularibus, ut appareat Divinam gloriam esse propriam et distinctam rationem mensuræ in singulis; et hinc Divina gloria semper videtur quasi nova ratio, neque parit sua repetitione tam crebra fastidium. Hinc etiam fere particulares fines cum hac conjunguntur, et ipsa sola crebro sine illis ponitur.

§. II. Hinc sequitur 2. Ut proprium sit nostri instituti non solum Divinam gloriam, ut alii fortasse, sed *majorem* Dei gloriam quærere in omnibus, ut dictum est. Unde nobis non satis est aliquid esse ad Divinam gloriam ordinatum, ut illud agamus ex Instituto; sed si aliquid occurrat, quod cæteris paribus sit majorem Dei gloriam pariturum, illud ex Instituto tenemur amplecti, id quod priori modo nulla ratione convenit. Nam qui solitudinem, v. g. tamquam omnium suarum actio-

(1) P. VII. Cap. I. §. 1. A. B.

(2) P. VII. Cap. II. D. et E. præter sexcenta loca in quibus metitur omnia P. Ignatius ex divina gloria, et particularia. Vide præcipue totam septimam Partem.

num scopum et mensuram assumpsisset, etiamsi quid majus et ad Dei majorem gloriam sese illi offerret, teneretur ex suo Instituto, hoc relicto, suum prosequi et inviolatum tenere, ni velit a suæ vocationis spiritu deficere. Hinc est quod in Constitutionibus nostris passim repetitur hoc : *ad majorem Dei gloriam.*

§. III. Hinc sequitur 3. quod in nostris Constitutionibus dicitur, proprium esse nostri Instituti, ut, quia *majorem Dei gloriam* quærimus, illam (1) *in seipsa* et *propter seipsam* finem habeamus, ut serviamus, et placeamus Divinæ bonitati propter seipsam, hoc est autem, ut Dei gloria primum ac immediate nos moveat ad agendum; quia nimirum concipimus in hac Deum maxime et unice sibi complacere. Idcirco, ut illi in hoc maxime obsequamur, et placeamus, et hoc Divinum ejus beneplacitum, quantum in nobis est, exequamur, movemur ad opus quodcumque; divinam voluntatem nostram reputantes, veluti in eam transformati, in ejus executione omnia nostra commoda gaudium et quietem reponentes. Unde fit, ut nostræ Constitutiones nullam nobis obligationem imposuerint ad culpam, ut loco timoris (2) offensæ, succedat amor et desiderium omnis perfectionis, et majoris gloriæ Dei. Et quamvis timore pœnarum, et spe præmiorum, aut beneficiorum munere ad id juvari debeamus, id tamen potius ideo quia Deus ita vult ut his juvemur et moveamur. Hoc autem totum etiamsi alii facere etiam possint, non tamen tenentur, sicut nos tenemur ex vi nostri Instituti, quod nos obligat ad majorem Dei gloriam semper quærendam, quam plane non assequeremur, nisi hoc operaremur modo.

§. IV. Hinc sequitur 4. proprium esse Instituti, ut *majorem Dei gloriam summa cum amplitudine* quæramus; ut tam (3)

(1) P. III. Cap. I. §. 26.

(2) P. VI. Cap. V.

(3) Quoad nostram perfectionem Exam. Cap. IV. §. 41. *continuum puritatis et virtutum augmentum*, etc. et §. 46. P. III. Cap. 1. §. 21. *omnimodam perfectionem.* P. VI. Cap. I. §. 1. Quoad proximorum autem P. IV. in procem. decl. etc. P. VII. Cap. II. §. 1. per totum D. E. H.

quoad nos, quam quoad proximum, semper quod majoris perfectionis est procuremus; et hoc in omni genere, et statu, et numero personarum; per omnia media, scilicet virtutum omnium, et vitæ tam contemplativæ, quam etiam activæ, ex contemplatione perfectissimam actionem deducentes, demum ministeriorum, reliquorumque omnium mediorum, de quibus infra suo loco dicetur; modo item quo fieri poterit perfectiori, et acriori mentis et cordis intentione; continenter denique et majori semper progressu. Si enim aliter faceremus, utique non majorem Dei gloriam assequeremur.

§. V. Sequitur 5. ut, quoniam tam in finem, quam in media per actus nostræ voluntatis ferri debemus; sicut *circa finem* debemus esse summe *determinati*, et resoluti, sic *ad* omnia *media* plenissime *indifferentes* esse debeamus, ut nonnisi in ordine ad finem illa velimus. Circa *finem* autem determinati esse debemus, tam quoad actum volendi ipsum, quam quoad intentionem, quæ debet esse (1) rectissima, tam circa vitæ statum, quam circa res omnes particulares, ut scilicet nihil aliud in omnibus velimus præter majorem Dei gloriam. Circa *media* vero indifferentiam illam intelligimus, non solum qualis ponitur expresse in Exercitiorum (2) fundamento, sed etiam quoad actus, et habitus virtutum. Quoad actus quidem indifferentia non est intelligenda quoad desiderium, cum maxime spectet ad majorem Dei gloriam, etiam virtutum actus summos intense desiderare; neque quoad ipsos actus quando ad illos exercendos ex præcepto tenemur, quales sunt trium votorum, et similes : sed ea accipienda est indifferentia quoad alios omnes actus, quorum nullum est humanum, aut divinum præceptum; scilicet, ut parati simus relinquere, differre, mutare, aut exercere, cum pro locorum, temporum, aut rerum varietate opus fuerit, quatenus ad Divinam gloriam magis faciunt ex Instituti nostri ratione; ut ex. gr. orationem relinquere pro juvandis proximis confessionis aut prædicationis munere; martyrii occasionem in

(1) P. III. Cap. I. §. 26. et P. VII. Cap. II. §. 1.

(2) Exam. Cap. I. §. 7. et 11. Cap. V. §. 8. in med. Cap. VIII. §. 1. et 2. P. III. Cap. II. §. 1. P. V. Cap. IV. F. P. VII. Cap. I. §. 1. in fin.

aliud opus ex obedientia docendi pueros commutare; sicut de P. Ignatio habemus cum Parisiis (1) flagellorum occasionem, quæ pro Christo passurus erat, quamque ardenter optabat, proximorum spirituali utilitati postposuit, et ut rudimentis (2) Grammaticæ vacaret, ad majorem Dei gloriam divinis illustrationibus se privabat; hoc enim est Deum (3) pro Deo relinquere, secundum ejus majus beneplacitum. Quoad (4) habitus vero, indifferentes esse debemus, 1. in acquisitione illorum, ut nos penitus subjiciamus directioni superiorum, ne aut nostro sensu, aut peregrino spiritu errantes ducamur. 2. Quoad (5) visitationes et consolationes spirituales, plures aut pauciores, quod in Constitutionibus monemur. 3. Quoad progressum et profectum circa gradus illorum longiori vel breviori tempore acquirendos, eo modo et mensura, quæ Deo futura sit gratior : ita ut post adhibitam diligentiam, quam par est in tanta re, abjiciamus omnem animi angorem et nimiam sollicitudinem, acquiescentes divino beneplacito.

Hinc in tanta virtutum excellentia, et varietate, quam nobis Institutum proponit, non præscribit fere unquam certos actus neque regulam aut normam illarum exercendarum, citra vel ultra quam non possit quis, si quando varianda sit pro temporum, locorum, personarum, aut rerum varietate, ad majorem Dei gloriam commutare, ut patet legenti Constitutiones.

Hinc etiam patet, modum vivendi nostræ Societatis debere esse (6) communem; nulli certo generi vivendi addictum, ut v. g. solitudini, vel perpetuo silentio; et quoad exteriora omnia, tam ad victum (7) quam ad vestitum pertinentia; et quoad (8)

(1) In lib. I. vitæ ejusdem Patris. Cap. XX. Maff.
(2) Lib. I. Cap. XVI. Maff.
(3) In vita ex Ribad. lib. V. Cap. X.
(4) Exam. Cap. III. §. 12. et Cap. IV. §. 3. et P. III. Cap. I. §. 12.
(5) P. III. Cap. I. §. 10.
(6) Exam. Cap. I. §. 6.
(7) P. VI. Cap. II. §. 15.
(8) Exam. Cap. I. §. 6.

pœnitentias ex obligatione subeundas; quoad (1) doctrinam et docendi modum; quoad externum (2) divinum cultum, et similia; et ob id nullis utimur cœnobitarum et similibus cæremoniis sed in his omnibus communem usum sequimur, quem prudens charitas dictat fore magis accommodatum singulis nationibus quibuscum vivimus, et spirituali proximorum ædificationi et utilitati, unde major Dei gloria existat.

Hinc etiam libertas (3) ac sinceritas provenit propria nostri Instituti, propter quam omnes obligationes rejicimus, quæ possent nobis impedimento esse, quin ad munia omnia Societati propria et ubique locorum observanda quam promptissimi simus. Mercedes (4) item et stipendia operum nostrorum recusamus, quo liberius illa exerceamus, ex quo fit, ut quod ad majorem Dei gloriam facere videbitur, expeditius procuremus.

§. VI. Denique ex his omnibus, quæ hactenus de fine Societatis diximus, facile intelligi poterit, quanta sit hujus nostri Instituti præstantia et dignitas. Deum enim maxime imitatur in fine omnium præstantissimo, et in mediis ad illum acquirendum; quin etiam in suo genere vivendi, Christi et Apostolorum vitam præcipue æmulatur et exprimit. Habet præterea ex hoc fine summam in omnibus operibus et ministeriis quibus utitur excellentiam, utpote quam non (5) ex illorum nobilitate, aut utilitate, sed ex finis ipsius natura et qualitate, qui idem omnibus nostris est, metiatur; unde neque nobilia ambiat, neque vilia despiciat, quin etiam (6) hæc illis aliquando anteponat, cum major Dei gloria illud postulet.

§. VII. Ex eodem fine fit, ut quoniam Societas (7) commune

(1) P. IV. Cap. XIII. §. 2. et clarius P. III. Cap. I. §. 18. P. IV. Cap. V. §. ult.

(2) P. IV. Cap. VIII. §. 2.

(3) P. IV. Cap. II. §. 2. B. P. VI. Cap. III. §. 4. 5. 6. 7. P. IV. Cap. VII. §. 3.

(4) P. VI. Cap. II. §. 7.

(5) Exam. Cap. I. §. 9.

(6) Colligitur ex VII. P. Cap. III. §. 9.

(7) P. IV. Procem. A. P. VII. Cap. I. §. 1. B. Cap. II. D. et in vita P. Ignatii lib. II. Cap. II. quantulum, quæso, reliquo terrarum orbi supererit? Maff.

bonum complectitur, spiritum concipiat non privatum aut singularem, sed universalem ad omnium per totum orbem salutem et perfectionem ex charitatis affectu procurandam, sicut eam procurare ex officio Christi Vicarius tenetur; idque non quolibet modo, sed sapientia quadam et arte, qua summi Architecti in ædificiis, et politicæ prudentiæ periti in regnorum gubernatione uti solent.

PARS. II.

De Mediis.

1. DE VIRTUTIBUS IN COMMUNI.

Media (1) ad prædictum finem nostræ perfectionis et aliorum, ad majorem Dei gloriam, virtutes sunt, de quibus in hac secunda parte nobis agendum est. Et primo id explicabimus quod omnes virtutes habent commune in his quæ proprie pertinent ad nostrum Institutum, et de his in hoc primo capite; deinde vero ad singulas quasque descendemus.

Primo ergo dicimus omnium virtutum in Societate hoc esse proprium, ut ad majorem Dei gloriam sint. Hoc est : 1. ut ab illa, eo modo quo explicavimus dum illam esse finem (2) declaravimus, mensurentur; nimirum, ut exercendo actus virtutum, eos homo Societatis referat ad Divinam gloriam expresse : non ita quidem ut in singulis sit necesse id actu præstare, neque ut ita in considerationem Divinæ gloriæ imprudenter absorbeatur, ut vel proprium virtutis actum prætermittat, vel certe illum tamquam stupidus remissius agat; debet enim intentio finis ejusmodi esse, ut potius det vigorem ad ipsum opus et attentionem : neque e converso, quod alterum extremum est, ita virtutis studio sit quis addictus, ut remissior sit in referendo actus virtutum ad Divinam gloriam prout debet : sed ea frequentia et actuatione intentionis utatur, quæ satis sit ut virtualiter ad illam referantur

(1) Const. P. X. §. 2.
(2) Ut supra in I. P. hujus opusculi.

actus omnes virtutum, juxta rectum prudentiæ dictamen. 2. Ut (1) quidquid contra sinceritatem et puritatem hujus finis sese menti objecerit, tollatur, quale esset: finem aliquem vanum habere, ut propriæ existimationis et commodi, nimirum sibi in illa virtute complacere, in ea sistendo, quasi finem præstantiorem non haberet; (2) item consolationes spirituales inordinate per illius actus quærendo, et ad id tendendo, ut in earum exercitatione nullas impugnationes (3) et difficultates sentiat, sed animi quietem, et pacatas passiones sibi vane et immoderate polliceatur.

Secundo. Proprium est virtutum societatis, ut (4) omnes cum omnibus suis ac propriis actibus, et excellenti quodam (5) modo habeantur. Cum enim tam multa sint Societatis ministeria, tamque varia, et tam multæ occurrant occasiones illa ad majorem Dei gloriam exercendi; hinc fit ut necesse sit ejus homines non in una tantum, sed in omnibus ex propria Instituti ratione excellere; alioquin aliquid desiderari posset ad majorem Dei gloriam procurandam et in multis ad propriam perfectionem pertinentibus ipsi deficerent, et proximorum utilitas et ædificatio sæpius impediretur.

Tertio. Proprium est nostrarum virtutum, fere non præscribi, certam (6) norman illas exercendi, neque quoad numerum actuum, ut pluribus quadragesimis, ciliciis, flagellationibus, et aliis pœnitentiis corporalibus quales habent alii religiosi, neque quoad modum ac speciem, ut v. g. profundis inclinationibus exercere humilitatem, et similibus, tum in hac tum in

(1) P. III. Cap. 1. §. 26. Et in Exerc. ult. ante elect. Ad Deum non recte sed oblique etc.

(2) P. III. Cap. I. §. 10.

(3) In Exerc. exam. gen. in primo et secundo modo resistendi.

(4) P. I. Cap. II. §. 8. P. VI. Cap. 1. §. 1. Nihil perfectionis. P. VII. Cap. 4. §. 2. totius honestatis et virtutis.

(5) P. III. Cap. I. §. 21. omnimoda perfectio. P. VII. Cap. I. §. 1. Quod factu optimum esset. Et P. X. §. 6. quod melius esse intellexerit, *et cætera hujusmodi multa.*

(6) Exam. Cap. I. §. 6.. et P. VI. Cap. II. §. 15. et 16, ib. Cap. III. §. 1. ubi nulla regula.

aliis virtutibus; idque magni momenti æstimamus ad virtutum eminentiam, ac perfectionem majorem. Est autem hoc ita in Societate triplici de causa: 1., quia cum virtutis ratio multitudinem (1) circumstantiarum circa suam materiam requirat, circa quas illam maxime variari juxta locorum, personarum, temporis et rerum opportunitatem necesse est; si ad certam et præscriptam legem modo jam dicto illius actus exigerentur, non parum, in Societate præsertim, detraheretur ejus perfectioni, amplitudini et liberalitati; quia sic determinata, neque quoslibet excellentes actus, neque quocumque modo exercere posset, neque quoties, aut quando, aut ubi opus esset, illos omittere, vel assumere. 2. Ut (2) sic aptiores et paratiores simus ad tractandam, et procurandam sine offendiculo aut impedimento ullo omnis generis et conditionis hominum salutem ac perfectionem. 3. Ne crebro sit necesse in hujusmodi præfixorum virtutum actuum legibus (quod sine dubio nobis sæpe necessario contingeret) dispensare, id quod religiosæ disciplinæ perniciosissimum est. Hoc (3) tamen non prohibet, quominus aliquando, et aliquibus, et possint, et debeant, etiam ex Instituti nostri ratione, certi virtutum actus ac modi illarum præscribi ac præcipi; imo est hoc Instituto nostro maxime consentaneum: nimirum cum illis qui sunt in Novitiatu, cum rudioribus, et his qui vel pertubatione animi aliqua, aut passione, scilicet ex malo habitu, vel variis spiritibus aut tentationibus agitantur, et similibus. Et hoc quidem merito, quia sine tali adjumento et peculiari directione ad tantam virtutem et tam eximiam, qualem requirit Societatis Institutum, non omnes neque semper sunt idonei. Actus autem hujusmodi, ut ex aliquibus qui in Constitutionibus præfiguntur colligitur, debent eligi qui proprie ad formandum interiorem hominem pertineant, et ad finem

(1) Huc spectant quæ in P. VII. Cap. I, et 2. præsertim in declarationibus dicuntur. Et P. VI. Cap. III. §. I. ubi discreta charitas, et nulla alia regula.

(2) Exam. Cap. I. §. 6. Ratio communis vivendi justas ob causas. Et Lib. III. vitæ S. P. Ignatii Cap. II. Maff.

(3) P. VI. Cap. III. A.; P. IV. Cap. IV. A., et Exam. Cap. IV. C. §. 3., D. ubi præscribitur modus loquendi, et usus lacerarum vestium P. III. Cap. II. C.

immediatum illius virtutis referantur, et demum ad comparandam eam prudentiam, quæ postea futura sit viva quasi lex, et mensura ad reliquos ejus generis per seipsum exercendos.

Neque tamen, quia ut plurimum, et in cæteris non præcribit Societas virtutis certas quasdam normas, idcirco vagatur quasi in incertum, aut periculo se exponit peregrinandi in multitudine atque varietate spirituum, quod esset totius Instituti pernicies: imo vero certissimis legibus et ad id præstantissimis utitur, universe præcipiendo, ita ut cum summa varietate propriam servet unifortatem.

Nam, præter finis universalis mensuram jam dictam, habet 1. in singulis virtutibus proprium(1) ac peculiarem modum procedendi, idest omninum qui in ea virtute esse potest excellentissimun, ut dicemus infra cum de singulis agemus. 2. Praxim habet earumdem virtutum, traditione et usu receptam, regulisque tum communibus, tum singulorum officiorum propriis expressam. 3. Directionem (2) Superiorum aut aliorum qui ejus loco sint, de qua paulo post dicendum est. 4. Prudentiam dirigentem singulos. 5. Unctio (3) demum per particularem Dei assistentiam, et spiritus vocationis nostræ proprius ad id maxime confert.

Quarto. Sanctitatem eam, quæ ex tam excellentibus virtutibus consequitur, Societas conjungit cum modo (4) procedendi communi, idest, nullo peculiari signo exteriori, ordinario et continuo, ut in vitcu, vestitu, convictu et similibus, ex Instituti ratione, ad illam ostendendam utitur. Et hoc multiplici de causa. 1. Ne sistere in exterioribus et contenta esse quadam virtutis tantum specie videatur; quin potius summum studium in cultu interno virtutum collocet. 2. Ut faciliııs periculum fugiat simulationis et inanis gloriæ, atque omnem virtutis fucum, et sic assuescat vero humilitatis spiritu, virtutes

(1) P. VI. C. I. §. 1. peculiari ratione adimplenda perfectio Instit.

(2) P. III. Cap. I. §. 12.

(3) P. IV. Cap VIII. §. 8.

(4) Exam. Cap. I. §. 6. et P. VI. Cap. II. §. 15 et 16. et Maff. in vita P. Ignatii lib. III. Cap. IX.

celando, Deo potius placere quam hominibus. 3. Ne ullum habeat rei externæ præsidium, quo sibi placeat et blandiatur, sed soli innitatur virtuti, qua si careat, quasi sal infatuatum ab hominibus conculcetur; id quod nobis maximus futurus sit stimulus ad veram virtutem acquirendam. 4. Ut virtus Societatis nullum aliud signum habeat, quam ipsummet ejus actum, qui eam prodat. 5. Ut sic aptiores sint homines Societatis ad procurandam salutem et perfectionem proximorum, quia sic minime illos deterrent, sed facilius alliciunt; id quod, in quantum ex magna charitate procedit, non vulgarem comprehendit perfectionem. 6. Quia hic modus illum Christi et Apostolorum maxime imitatur. Ex quibus patet, cum majoris sit perfectionis, ad majorem quoque esse Dei gloriam.

Praxis autem hujus notæ nostrarum virtutum hæc esse videtur, ut supposito acri studio earum quoad interiorem hominem, actus illarum externi tunc exerceantur, quando recta ratio vel ad propriam, vel ad proximorum utilitatem spiritualem præscribet; reliquo vero tempore duo vitet extrema in suis externis actionibus : alterum nimiæ libertatis ac licentiæ ; alterum exactioris ac severioris curæ in demonstranda virtute signis exterioribus; servata ea moderatione in externis actionibus, quæ in regulis nostris ad modestiam pertinentibus præscribitur, de qua suo loco dicetur.

Quinto. Societas in virtutibus singulis non assumit id quod est in illis per accidens et quasi materiale, sed quod est in illis per se et formale, et ad summam ejus atque absolutissimam rationem facit. Hoc autem 1. quia nullam singularem virtutem assumit sibi tamquam summum reliquarum scopum et mensuram, ad quam omnia alia referat, quale esset v. g. silentium, mortificatio, etc.; sed omnes cum sint natura sua media ad perfectionem, tamquam media quærit secundum propriam rationem et gradum, nullam magis aut minus quam par sit deprimendo aut extollendo pro arbitrio, sed pro illarum dignitate ac ratione propria. 2. Cum unaquæque virtus proprium ac immediatum scopum sibi præfigat, quo omnes actus et dirigat et metiatur, unde ejus vera ac summa perfectio essentialis pendet; proprium est Socie-

3

tatis, in singulis virtutibus quas ex Instituti sui ratione quærit, et in illarum actibus, nihil aliud ad majorem Dei gloriam spectare, quam ut per eas ad illum scopum suum perveniat. Ex. gr. in mortificatione, quia Societas nihil aliud habet pro scopo, quam removere impedimenta perfectionis, quod ejus est proprium ; in omnibus actibus illius tam multis ac variis, quos exercet, hoc unum tantum expendit, hoc assequi conatur. 3. Quum formalis ac proprius cujuscumque perfectæ virtutis usus, non tam pendet ex actibus ipsis et objectis quasi materialibus, v. g. in mortificatione, ex ciliciis, flagellationibus multis ac vehementioribus ; sed potissimum ex rectæ prudentiæ dictamine, ut quæ quando et quomodo juxta prædictum scopum oportet fiant; ideo Societas in virtutum praxi huic prudentiæ maxime nititur. Nam duplici via potest quælibet virtus acquiri : altera per actus materiales, ita illos accipiendo, ut omnino excludat oppositos, ut ex. gr. cum ad virtutem silentii, certæ horæ præscribuntur, in quibus loqui omnino non liceat; et ad paupertatem, pecunias non contingere ; quæ via, quod a multis potest periculis eximere, ac securitatem parere videtur, et ad animi simplicitatem instituere, laudabilis est : altera, quæ longe præstantior est, cum, proprio illo fine et scopo præ oculis habito, actus eo tempore ac modo cum circumstantiis aliis debitis, vel exercet, vel prætermittit, prout prudentia ad illius mensuram exigit; et hanc dicimus nobis proprie convenire. Et quod attinet ad hunc scopum et actus in illum, exactissima est etiam in minimis Societas; ita ut non solum partem, sed totum quod est virtutis formale, plenissime complectatur et requirat; et simul tamen, circa multos actus, scrupulos omnes minimarum rerum, et excessus indiscretos facile evitet.

Hinc patet qualis debeat esse intentio hominibus Societatis in usu virtutum : nempe, ut semper scopum earum intueantur, et unde excellentiam earum metiri, et cujus studio potissimum, et quanta acrimonia incumbere debeant. Propterea S.P. Ignatius, (1) in Constitutionibus, Professis Societatis et Coadjutori-

(1) P. VI. Cap. III. §. 1.

bus formatis in usu virtutum nullam fere præscribit regulam, nisi quam discreta charitas dictat, consulto tamen Confessario, et Superiore; quia eos præsupponit viros esse spirituales, qui sic in via Christi Domini profecerint, ut ea prudentia acquisita circa scopum virtutum omnium, quæ necessaria est, ut diximus, per eam inoffenso pede currere possint. Unde patet reliquos omnes debere ad hoc pro viribus contendere.

Ex his item colligitur, quæ et quanta in universo Societatis Corpore uniformitas quoad virtutes spectetur; scilicet, non ea quæ in exteriori et materiali illarum consistit, quæ stare potest cum multa varietate spiritus erga illas; sed in interiori et formali virtutis ratione (1), quæ ut variari non potest, ita non relinquit quoad hoc nobis locum peregrinandi alienis spiritibus extra limites nostri Instituti; et hæc est præstantissima, quæ haberi potest uniformitas. Hæc autem ita in Societate nostra elucet, ut ab omnibus dignoscatur, et in tanta ingeniorum, ac nationum varietate, et operationum multiplicitate, admirationem pariat non vulgarem.

Praxis autem erit, ut doceantur Nostri, ac plene intelligant, debere eos scopum hunc singularum virtutum spectare, et assuescere debitæ prudentiæ circa illam, cum directione, etc.

Sexta Nota virtutis Societatis est : ut omnes actus externi, etiam minimi, tamquam opera perfectionis et meriti, ex gratia ab habitibus internis ipsius virtutis emanent, et inde multo (2) magis sumant efficaciam, quam ex quolibet alio principio naturæ vel doni cujuslibet gratis dati. Hinc est quod opera, sive quæ indifferentia sunt, qualia dormire, refici, ambulare, etc.; sive quæ bona ex genere suo, ut reverentiam Superiori exhibere, et actus externi regularum nostrarum; sive ministeria quæ ex donis et talentis gratis datis, aut naturalibus, ut concionari, docere, audire Confessiones, conversari, oriuntur; ab hominibus Societatis ex interno spiritu fieri debeant, ac studio perfectionis et sanctitatis : alioquin cum ab eo dictamine, quod pro-

(1) P. III. Cap. 1. §. 18. P. VIII. Cap. I. §. 8. Proœm. Declar. In fine : P. X. §. 9.

(2) P. X. §. 2.

prium est vocationis nostræ, deficiant, quantumvis magna sint et aliis admirabilia, et parvi fiunt (1) in Societate, et minime ad animarum fructum conferunt. Hoc autem maximi momenti est ad funditus evellendum modum illum procedendi humanum et politicum, quem maxime abhorret Societas, quippe quæ homines plene spirituales requirit, et totos ad Dei majorem gloriam consecratos. Ex his omnibus quas diximus virtutum notis, apparet quæ sint vere perfectæ ac solidæ virtutes, quæ in Constitutionibus nobis tam crebro proponuntur et commendantur.

Septimo. Cum in omnium virtutum acquisitione, et divina *gratia* indigeamus, et nostra *cooperatione*, Societatis proprium est hæc duo summe et excellenter conjungere, tamquam omnium operum efficacia principia, ut sic Deus tamquam naturæ et gratiæ auctor magis glorificetur. Hanc autem (2) excellentiam quoad *gratiam* ita intelligimus, ut toti ab illa sic pendeamus, ut quod nostrum est nihil reputemus, existimantes Deum solum esse qui omnia in nobis operatur ac perficit ex solo sui amore ac beneplacito, et præveniendo et coadjuvando. Unde et omnia in illum referimus, nihil nobis tribuentes, neque in ullo nobis placentes. Quare summa cum submissione Divinæ Gratiæ nitimur, ac illi soli fidimus, alta quadam animi quiete, omnia licet ardua strenue operantes. Quoad (3) *cooperationem* vero, ut exactissime omnes nervos (4) virium nostrarum intendamus ac si a nobis res tota penderet, nihil omnino prætermittentes eorum, quæ ad rei confectionem recta ratio præscribere posset, juxta Instituti nostri spiritum atque normam. Præterea, ut cooperando, modum recte agendi in omnibus observantes, (5) methodum et artem conficiamus, qua tamquam sapientes ma-

(1) Regul. 97. Provinc.

(2) P. III. Cap. I. §. 20. P. VI. Cap. I. in initio. P. IX. Cap. II. §. 1. Cap. VI. A. et P. X. §. 1. et 3.

(3) Procem. Const. : P. IV. Cap. VIII. §. 8. : P. X. §. 2., 3. et Maff. in vita S. P. Ignatii.

(4) P. VI. Cap. I

(5) P. III. Cap. I. §. 10. rationes tenendæ ad tentationes superandas et virtutes acquirendas : R. method. bene procedendi in oratione : P. IV. Cap. VIII. C. D. E. §§. 6. 7. 8. : P. X. §. 3. : P. VII. Cap. I. §. 5.

gistri ac veluti architecti quod reliquum est procedamus. Hinc factum est, ut Societati præscriberentur Constitutiones, et singulis (1) quibusque ministeriis regulæ; et ut instructiones ac documenta tradantur his, qui illa sunt obituri. Hinc nostris hominibus debet esse tam proprium ac familiare omnia operari per communicationem cum Deo (2) in oratione, et per electionem potissimum cum opus est, sicut habetur in Exercitiis; atque illud etiam proprium est, ut ex contemplatione ac oratione ad operandum progrediamur. Et quoniam divinæ gratiæ ac beneplacito in virtutum acquisitione ita nitimur, ut dictum est, hinc fit, ut illarum profectum non expendamus ad normam (3) facilitatis, vel difficultatis, quam in operando sentimus; quia hæc regula fallax est, et tantum pro acquisitis habitibus, et naturalibus valet; potest enim cum excellenti habitus gradu stare etiam difficultas, sive hæc ex natura, sive ex alio extrinseco principio nascatur; sicut neque etiam difficultas minor, aut facilitas major certum est argumentum virtutis excellentioris; virtus enim, ut ait Apostolus, etiam *in infirmitate perficitur*. Quare divinæ gratiæ, ac bonæ voluntati propriæ niti quis debet, pro illius mensura efficaciter operando; atque hoc ipsum non expendat suo judicio, et ex eo quod sentit se vel multum, vel parum, aut nihil profecisse; cum possit absque sensu hujus profectus etiam consummata virtus haberi, quæ a Deo justas ob causas sæpe occultatur: sed proprium penitus abnegando, aliorum judicio quasi per fidem acquiescat, totum se Deo magna cum humilitate et quiete committendo. Quod maximi momenti est, et præclarum atque optimum apathiæ remedium.

Octavo. Quod (4) ad modum attinet acquirendi virtutes, me-

(1) In procem. Const. et Bull.

(2) P. VII. Cap. IV. §. 3. et alibi, ubi orationis auxilium præscribit. *Præmittendum.*

(3) P. III. Cap. I. §. 10. in vita P. Ignatii l. ult. c. 10 : Ribad. Exerc. in Exam. ad confess. generalem de secundo modo resistendi.

(4) In vita P. Ignatii Maff. lib. 3. c. 10 et lib. 1. c. 8 : Const. P. I. Cap. III. §. 12. P. X. §. 10. ubi dicitur moder. labor. etc.

diis utitur Societas minime horridis atque asperis; sed suavibus, efficacissimis tamen, ita ut tam hi qui dirigunt, quam qui diriguntur, suavitate uti debeant, juxta modum procedendi proprium huic Instituto, in illorum mediorum applicatione. Atque hic modus excellentissimus est, utpote qui magis accedit ad Christi et Apostolorum imitationem, et qui proprius est suavitatis spiritus ac gratiæ divinæ. Neque tamen idcirco tepide ambulat Societas in acquisitione aut exercitatione virtutum; sed inanem, indiscretum, ac nimium, et peregrinum a sua vocatione fervorem devitans atque abhorrens, illum complectitur qui excellentissimus est, quique ab interna virtutum jam descriptarum vi manans, solidus est, prudens, ac vocationi nostræ maxime accommodatus.

II. DE DIVISIONE VIRTUTUM.

Etsi multis modis uti possumus in dividendis virtutibus, placet tamen in hoc opere, juxta triplicem viam, scilicet *Purgativam*, *Illuminativam*, et *Unitivam* illas dividendo, illarum tractationem prosequi, utpote quæ (præter quam quod minime abhorret a Platonicorum tripartita illa divisione virtutum, in purgatorias, purgati animi etc., nec non ab Aristotelica in continentiam, virtutem communem moralem, et heroicam) quadrat etiam (1) methodo Exercitiorum nostrorum, vitæ ipsi P. Ignatii et primorum Patrum, spiritui vocationis, praxi Societatis, Ordini Examinis, et Constitutionibus; quibus primo instituimur in virtutibus quæ purgant, deinde in his quæ illuminant, demum in aliis quæ nos Deo perfecte conjungunt. Quadrat etiam triplici classi personarum Societatis; nimirum Novitiorum quorum maxime propria est purgatio; Collegialium, quibus illuminatio magis convenit; et Professorum atque Coadjutorum formatorum, quorum cum sit proprium ex unione cum Deo erga proximum operari, ad virtutes unitivæ viæ præcipue incumbere debent. Et his respondent tria peculiaria domicilia Societatis, Domus Probationis, Collegia, et Professorum Domus.

(1) Exerc. Annot. 10.

DE VIA PURGATIVA.

Quoad *purgativam* autem, tractabimus primo de *Pœnitentia*, deinde de *Mortificatione;* et ratio hujus est, quia circa medioeritatem seu discretionem, quæ virtutum perfectarum magis propria est, exerceri nemo utiliter potest, nisi prius excessus et impedimenta removerit; hæc autem duo sunt, vel actus vitiosi et *peccata*, quæ per *pœnitentiam* tolluntur, vel eorum principia, scilicet *passiones*, pravi habitus etc., quæ deprimuntur per *mortificationem;* idcirco nobis visum est agere primo de Pœnitentia, deinde de Mortificatione.

I. DE PŒNITENTIA.

Pœnitentiam (1) In Societate duplicem consideramus, internam unam, alteram externam, de interna tantum hic disserimus, externam vero ad mortificationem rejicimus, cum sit ei simillima, ne idem sæpius repetamus. Pœnitentia et virtus est, et Sacramentum, et ratione utriusque aliquid habet proprium Societas, idque 1. in *ingressu*, 2. *singulis* saltem *hebdomadis*, 3. *sexto quoque mense*, vel *singulis annis*. Et *quoad primum* :

Primo obligantur ex Instituto (2) qui Societatem ingrediuntur præmittere generalem totius vitæ confessionem, nisi eam antea cum aliquo de Societate præmisissent, in quo casu debebunt etiam generaliter confiteri a tempore alterius postremo factæ, et hoc exactissime, nempe cum (3) secessu per aliquot dies, ut plenius ac liberius orationi vacando rem tantam perficiant.

Secundo. Præscribitur (4) illis modus, ut 1. scilicet cognitionem habeant peccati plenissimam, tum quoad culpam, tum quoad pœnam, sive ex origine prima ejus in Cœlo et Angelis, sive in primo homine, sive in cujuslibet peccati mortalis gravitate, sive in propriorum fœditate ac nequitia, quoad circums-

(1) In exercit. Addit. X.

(2) Exam. Cap. IV. §. 51. et §. 10. P. I. Cap. IV. §. 6.

(3) Ubi supra proxime et Annot. Exerc. 20.

(4) Prima Hebdom. Exerc.

tantias omnes et causas, cum sui ad omnia comparatione. Deinde confusionem, et dolorem concipiant (cum proposito firmissimo cavendi in posterum) perfectissimum, huic notitiæ correspondentem. Et huic subserviunt generale examen, et tota prima hebdomada Exercitiorum.

Tertio. In his omnibus hos proponit scopos Societas : 1. Ut (1) penitus omnis culpæ reatus tollatur. 2. Ut (2) incipiat quisque, quoad ejus fieri potest, radices et causas peccatorum tollere, quod est ad studium mortificationis primum fundamentum. 3. Puritatem summam (3) conscientiæ ab omni labe mortali consequatur. 4. Ut hac (4) ratione ad uberiora dona gratiæ vocationis disponatur. 5. Ut (5) aptior fiat ad sumptionem Eucharistiæ ea devotione, quæ deceat spiritum perfectionis hujus nostri Instituti. 6. Ut cognitionem ac dolorem illum tam alte infigat menti, ut quam recentissimum semper habeat ac (6) familiarem, coram Deo potissimum, et in eo semper crescat, quo sic a divina gratia totaliter pendeat, eo modo quo supra dictum est, et tepiditatis scopulum cautissime vitet, qui ex hujus cognitionis ac doloris aut oblivione, aut remissione oriri solet.

Quarto. Ut hæc omnia ex ultimo illo fine majoris gloriæ Dei expendat ac metiatur, hoc est, quod de P. Ignatio dicitur, tantam assumat pœnitentiam, non ob timorem, aut aliud motivum, sed studio magis placendi Deo, atque in ipso hujus tam rudis initii limine, incipiat omnia in divinam gloriam referre, et hujus tam eminentis vocationis tam altum fundamentum ponat.

Quoad secundum. Primo præcipitur (7) laicis, et item Sacerdotibus, ut minimum confiteantur singulis octo diebus. Ex quo colligitur, post ingressum obligari homines Societatis ad per-

(1) In exerc. in primo gradu humilit.

(2) In Addit. 5. ubi causas non boni successus in oratione docet examinari.

(3) In exerc. in secundo gradu humilit.

(4) In Exerc. Confess. general. et. Commun. usus.

(5) Ibid.

(6) In vita P. Ignatii lib. 5. c. 10. Expende exemplum Ribad. circa princip. capitis.

(7) Exam. Cap. IV. §. 25. P. III. Cap. I. §. 11. P. IV. Cap. IV. §. 3.

fectius genus pœnitentiæ, hoc est, non solum erga mortalia, ut supra dictum est, a quibus liberi illi esse debent, sed etiam (1) erga venialia vel minima quæque, ad quæ expianda præcipitur ista confessio.

Secundo. Modus autem quo nostri circa hæc venialia habere se debeant (quod singulare, insigne et valde proprium est nostri Instituti) idem erit proportione, qui superius circa mortalia est explicatus. Nempe ut inprimis habeant plenissimam cognitionem eorum, tam quoad culpam, quam quoad pœnam. Pro qua docendi erunt nostri 1. peccati venialis offensam, etsi levis existimetur, eam tamen esse, ac tantum Deo displicere, ut neque propter totius mundi salvationem ac liberationem ab Inferno, nedum propter alterius boni consecutionem, vel mali cujuscumque vitationem, committi conveniat, ut de mendacio docet Augustinus. 2. Culpam talem esse, ut licet gratiam habitualem non tollat, neque charitatem, ejus tamen remittat fervorem, et multarum virtutum actus, ut devotionis, cognitionis Dei etc, impediat; et cum ipsa gratia non possit exire ad opus sine speciali auxilio et concursu divino, multa hujusmodi auxilia hebetare, et tollere alia multa; hinc plurimos divinos influxus impedire, et ad gratiæ amissionem, mortalemque culpam disponere, et Spiritum sanctum contristare. 3. Maculam ejusmodi inurere animæ, ut licet gratiæ habitualis decorem omnino non auferat, minuat tamen illum ac fœdet ejus pulchritudinem, et obscuret, sicut macula olei auream vestem ac pretiosam. 4. Damna multa inferre præterea; retardat enim valde, impedit, et magna ex parte etiam tollit fructum, et progressum omnem in via spirituali, castum Dei timorem ac pavorem imminuendo, et inanem quamdam animi præsumptionem ingenerando, vires liberi arbitrii, quibus debet gratiæ cooperari, retundit atque atterit; quare multa bona imminuit et aufert; perfectæ item disciplinæ spiritualis vigorem emollit, et cum aliorum offendiculo relaxat; Angelicæ quoque custodiæ auxilia peculiaria multa

(1) In Exercit. gradu secundo et tertio humilitatis, P. III. Cap. 1. §.2. *Ab omnibus imperfectionibus* etc.

subtrahit; atque hæc omnia eo majori periculo, quo quia minuta et levia videntur hujusmodi, minus dignosci timeri et vitari solent, præsertim quando frequenter, et nedum incaute, sed studiose, et ex voluntate fiunt, neglecta emendatione, animo perseverandi. 5. Puniuntur etiam sæpe nec leviter in hac vita tribulationibus internis, ut tristitia, et aliis animæ perturbationibus (*); externis etiam, et aliquando morte ipsa : tum post mortem pœnis purgatorii, ac retardationis ad gloriam.

Tertio. Præter omnes illos scopos quos supra circa mortalia diximus, quos omnes expresse etiam, et altiori modo circa venialia haberi necesse est, alii etiam poni debebunt. Primo, instituendi (1) perfectissimam conscientiæ formam, quæ in eo maxime consistit, ut duo vitentur extrema : alterum crassioris et liberioris, sive circa primos motus, sive circa suggestiones et delectationes, sive circa consensus expressos aut tacitos, qui quod occulti sint, et ad dignoscendum difficiles, periculosissimi sunt; alterum nimis delicatæ per scrupulos et apathiam, ut habetur in (2) Exercitiis in materia de scrupulis. Ad quod haberi debet plena institutio, quæ innuitur in Constitutionibus. 2. Proficiendi in spiritu, quod semper nostris præ oculis esse debebit in confessionibus, ne tantum ex consuetudine quadam et in speciem assuescant huic Sacramento. 3. Ut sic ex frequenti sui collectione interioris hominis, ac spiritualis disciplinæ, ad varios animi motus dignoscendos fundamenta ponant. 4. Ad majorem et securiorem in spiritu (3) directionem per Confessarium, cum dependentia (4) in dubiis ad Superiores, ad quod etiam refertur exactior quædam in Societate casuum (5) reservatio. 5. Ut suavitas quædam ac facilitas in ea exercenda nostrorum animis ingeneretur. 6. Utque facilius atque suavius vi-

(*) Nota exemplum leonis occidentis Prophetam : Macarii correpti a Dæmone ob levem iram; et Stargirii ob negligentiam, ut refert Chrysost.

(1) Puncto 5. et 5. de Scrup. in Exercit.

(2) Exerc. de scrup. 4. punct.

(3) P. III. Cap. I §. II. et 12.

(4) P. VI. Cap. III. A.

(5) P. III. Cap. I. §. 11. et Can. 4. Cong. 2.

tentur peccata et efficacius, tum ob crebrius gratiæ augmentum, tum ob actus illos pœnitentiæ quos diximus sæpius repetitos, tum ob continuam institutionem et cohortationem. Atque huic secundo generi pœnitentiæ maxime subserviunt duo examina, tum quotidianum, tum particulare, cum suis quatuor additionibus, ut in Exercitiis. Hæc autem omnia ideo tam diligenter exquirimus, ut per hoc tam eximium et continuum (1) puritatis et spiritualis profectus studium major Dei gloria consequatur.

Quoad tertium. Primo in Constitutionibus præscriptum est, ut qui ad (1) statum nondum sunt admissi sexto quoque mense, admissi (i. e. Professi vel Coadjutores formati) (2) singulis annis generalem confessionem instituant, cujus exactio quanta esse debeat, colligi potest, tum ex instructione ad reddendam rationem conscientiæ, tum ex proprio examine, quod juxta traditionem nostram tali tempore proponi solet et exhiberi. 2. Hujus confessionis præter jam dictos scopos in superioribus, et maxime generali totius vitæ, maxime proprius videtur esse, collatio illa examinum et spiritualis profectus totius præteriti, temporis, qualem ponit P. Ignatius in Exercitiis (3) addit 3. et 4. examinis particularis; itemque, ut ex ea virium spiritualium reparatio, ac interioris hominis renovatio major ac fructuosior consequatur; demum dispositio ad votorum debitam renovationem his, qui eam facere tenentur.

Atque hinc notæ, et excellentiæ pœnitentiæ Societatis patent. Maxime enim spectat id quod interius est et essentiale virtutis, scilicet cognitionem et detestationem omnis peccati etiam minimi, summa qua potest diligentia et intensione, nunquam quiescendo, donec causas, radices, et ipsas etiam (5) fibras culparum evellat penitus; et illarum memoriam jugiter conservans,

(1) Exam. Cap. IV. §. 41. in illa verba. *Demum continuum puritatis ac virtutum augmentum.*

(2) Exam. Cap. IV. §. 41.

(3) P. VI. Cap. I. § 2.

(4) In Exerc.

(5) Vita P. Ignatii l. 2. c. Ribad.

ejus rigorem nedum non remittit, sed etiam fovet, et auget continuo, Externam vero etiam complectitur, et excellenti quodam modo, cum opus est, tamquam internæ illius germen ac fructum.

Praxis autem hujus virtutis pœnitentiæ hæc esse debet. Primo curetur ut ingeneretur opinio et existimatio hujus Sacramenti pro cujusque captu maxima, ut scilicet affectum habeant Nostri devotionis et reverentiæ erga hoc Sacramentum, et fiduciæ erga gratiam ipsius, præ oculis habendo scopos jam dictos. 2. Ut præmittatur oratio ad sui collectionem et gratiam quærendam, ut debito modo rem hanc perficiant. 3. Ut habeatur cognitio et dolor de peccatis cum proposito jam dicto, cavendo omnia et occasiones etiam minutorum. 4. Præcedat diligens examen circa cogitationes, verba, opera, omissiones, et hæc circa regulas vota et ministeria cujusque propria etc., observatis instructionibus Nostrorum usui accommodatis. 5. Ut exactio præcipua et major sit circa principales defectus et quasi capita reliquorum, quæ in singulis ad pauca fere rediguntur, atque in his etiam (1) minutissima expendere, in reliquis vero hæc tamquam superflua prætermittere. 6. Tentationes (2) item et frequentiores impugnationes in quibus deficit explicentur. 7. Ut peccatorum narratio clara sit, sincera, atque brevis. 8. Major custodia, atque cautio adhibenda erit ad comparatam gratiam in Sacramento custodiendam. 9. Confessarii partes erunt, et in omnibus prædictis dirigere, et præcipue ad conformandam rectam conscientiam ut dictum est supra, his qui laxiorem habent restringendo, et (3) initio maxime, his vero qui nimis delicatam relaxando, donec modum teneant perfectum. 10. Pœnitentias vero debet injungere non austeras, sed suaves (4) in exterioribus, quoad necesse erit, efficaces tamen, et habita ratione ad emendationem et

(1) Lib. 5 vit. P. Ignatii Ribad. Exemplum confess.

(2) P. III. Cap. I. §. 12.

(3) Puncto 3. in Exercit. de scrup.

(4) Quales solebat P. Ignat. injungere pro erratis ut habetur lib. 5. Ribad. Cap. X et P. III. Cap. I. §. 15. X. expende singula.

profectum. 11. Ad particulares autem defectus examine particulari uti doceat, ut in Exercitiis.

DE TENTATIONIBUS.

His qui sua peccata per Confessionem et pœnitentiam purgarunt modo prædicto, et maxime determinatam atque efficacem voluntatem habent vitandi omnia et se omnino custodiendi, remanent adhuc et habitus, et inclinationes, et fomes, quibus ad illa incitantur et proni fiunt. Unde statim impugnationibus dæmonis ac tentationibus exponuntur. Hinc merito duobus vacare præcipue debent hujusmodi, tum ut tentationibus resistant ac illas superent, tum ut excessus malorum habituum ac passionum studio mortificationis resecent. Quare et nos hic de *tentationibus* primum, deinde de *mortificatione* dicemus.

Quod ad *tentationes* autem attinet, proprium est Societatis nostræ (1) excellentissimum genus victoriæ contra illas habere; deinde adminicula omnia quoad hoc (2) omnium optima et expeditissima, tum ex parte instituentis magno cum lumine, et potissimum ad varios spiritus discernendos, tum ex (3) parte ejus, qui instituitur cum omnimoda suæ conscientiæ, et omnium impugnationum (4) declaratione, et plena voluntatis, ac judicii submissione ad directionem; demum (5) instructionem amplissimam, et ad cavendas illusiones, et ad tuendum se contra tentationes, et ad eas perfecte superandas. Neque id mirum, quoniam tam finis Societatis, quam media ad illum, propter ipsorum excellentiam, varias habent easque gravissimas (6) difficultates, et maximis obnoxias tentationibus, et impugnationibus.

(1) In Exam. generali Exerc. in princ. et Annot. 13. ubi non solum resistere sed expugnare.

(2) P. III. Cap. I. §. 10.

(3) P. III. Cap. I. §. 13. et Exerc. Annot. et in Regul. de discernendis spiritibus.

(4) Const. P. III. Cap. I. §. 12.

(5) In Exercit. Annot. 17.

(6) Bulla I. Pauli III.

Praxis autem hujus institutionis supra dictis capitibus continetur. Et quod ad illusiones, observentur ea quæ in Exercitiorum regulis de discernendis spiritibus habentur.

DE MORTIFICATIONE.

Inter omnes virtutes, quas ad finem nostrum suscipit Societatis Institutum, mortificationem præcipue, et quam (1) maxime requirit, et habet valde peculiarem. Unde et crebro in Constitutionibus, et verbis gravissimis de ea a P. Ignatio præscribitur, atque id merito sane. Præstantia enim finis nostri, qui est major Dei gloria in omnibus; excellentia perfectionis ad quam tendere debemus, ministeria item nostra tam difficilia, multiplicia et periculosa; talentorum copia et dignitas, quæ facile animi elationem suapte natura parere potest; consuetudo familiaris tum inter nos ipsos, tum etiam cum externis, tam lubrica, et plena periculi, præsertim in tanta ingeniorum ac nationum varietate; ratio denique gubernationis, et ipsiusmet Instituti, quæ tantam requirunt subordinationem et in omnibus abnegationem; exemplum quoque bonum, quod ad aliorum salutem procurandam apprime confert; et cætera omnia quæ Societatis sunt propria, ut sine mortificatione constare omnino non possunt, ita illam cum primis et quam maxime postulant.

Hujus nostræ mortificationis proprium est :

Primo. Habere omnia illa quæ supra de virtutibus in communi dicta sunt, suo tamen modo.

Secundo. Peculiarem (2) præterea habet finem ac scopum, removere impedimenta virtutum, et excessus tam habituum quam passionum. Quare non atterit vires, non edomat carnem, non frænat sensualitatem ac passiones alias, ut in hoc tantum sistat et quiescat, sed hæc omnia eo dirigit, ut sint media ad majorem spiritualem in virtutibus profectum.

Tertio. Cum duo sint genera circa quæ mortificatio versatur. alterum externarum rerum, alterum internarum, utrum-

(1) Exam. Cap. IV. §. 16. P. III. Cap. I. §. 2.
(2) P. III. Cap. I. §. 2.

que amplectitur Societas exactissime, quamquam ut interna præcipue, sic (1) externa tanquam illorum fructus.

Quarto. Quoad actus Societas habet proprium 1. Ut nullam habeat (2) obligationem ordinariam ad certas corporis castigationes et afflictiones. 2. Ut nullum fere actum determinet præter paucos quosdam initio pro (3). Novitiis, ut virtuti assuescant, sed omnes committat rectæ prudentiæ et rationi. 3. Ut hanc virtutem exerceat in experimentis Instituti (4) potius, et ordinariis cujuscumque ministerii et officii laboribus propriis, qui aptissimi sunt ac suavissimi ad nos juxta nostræ vocationis spiritum mortificandos, quibus alios adjungit, cum opus fuerit. 4. Ut hujus virtutis studium in omnibus jam dictis nunquam intermittantur, sed (5) continuum sit, et majus in dies quoad poterit fiat.

Quinto. Non in speciem, aut ficta consuetudine, vel sine mensura mortificationes exercet Societas, sed habito veræ virtutis scopo præ oculis, ut dictum est. Primo igitur in omni mortificatione spectari debet, ne grave aliquod nocumentum afferat id quod (6) assumitur ad mortificandum. modo tamen hoc judicium rectum sit, non ex nimio sui amore et indulgentia. 2. Ne (7) majora bona impediantur. 3. Spectanda est præcipue propria (8) cujusque necessitas, ad quam quod accipitur ad mortificandum referri debet in primis, ut ibi (9) magis insistat, ubi periculum magis timetur, tum ubi sensus magis (10) abhorret, tum ut radices et causas (11) morbi feriat, interna ad id adhibendo remedia, vel externa, quoad opus

(1) Addit. 10. in Exerc.
(2) Exam. Cap I. §. 6. et P. VI. Cap. II. §. 15. et 16.
(3) Exam. Cap. IV, §. 30. D. et P. III. Cap. II. C.
(4) Exam. Cap. IV. §. 9. et P. III. Cap. II. §. 3. 4. et 5.
(5) Exam. Cap. IV. §. ult.
(6) P. III. Cap. II. §. 4. et 5. et P. X. §. 10.
(7) Ubi supra proxime.
(8) Exam. Cap. I. §. 6.
(9) P. III. Cap. I. §. 15.
(10) Exam. Cap. IV. §. 28.
(11) P. III. Cap. I. §. 1.

erit ad propositum finem. 4. Devotio propria (1) sive ad aliquod (2) donum consequendum, et obtinendam gratiam, sive ad exercitium (3) humiliationis, sive ad Sanctorum honorem, et Patrum ac Majorum nostrorum imitationem, sive ad alia hujusmodi. 5. Necessitas aliqua, aut bonum proximorum, sive publicum, sive (4) privatum. 6. Aliorum (5) major ædificatio. Et hæc omnia judicio et approbatione Superioris metienda sunt, pro cujusque conditione, et qualitate, sivi Novitii sint, sive Collegiales, sive Professi.

Sexto. In his omnibus ea mortificationum genera inter alia maxime vitat Societas, quæ verecundiam tollunt, quæ decorum et quod honestum est minuunt, quæ ex indiscreto fervore proficiscuntur, quæ alios offendere possunt, et majoris boni erga proximos procurationem impedire.

DE VARIIS SPECIEBUS MORTIFICATIONIS.

Mortificationis species plures sunt, prout plura sunt objecta circa quæ illa potest exerceri : vel enim sunt *externa*, ut bona temporalia, divitiæ, etc., consanguinei, amici, patria, honor, etc., vel *interna*, ut sensualitas, propriæ passiones, voluntas, judicium, res spirituales, ut consolationes, etc. De his ergo suo ordine inquirimus, quod est proprium mortificationis ex nostro Instituto.

Primo. Proprium est igitur nostræ Societatis, ut ante ingressum etiam in Domum (6) primæ Probationis penitus sæculo renuntiaverint, et Dei servitio se omnino mancipare, sive in hac, sive in alia Religione statuerint, quod est valde notandum. Eam enim requirit Societas perfectionem ante ingressum, tamquam dispositionem, quam alias Religiosi Ordines post Novitiatum ad professionem exigere videntur, idque propter emi-

(1) Exam. Cap. 1 §. 6 et P. VI. Cap. II. §. 16.
(2) Addit. 10. in Exerc. et reg. 4. de moderando victu.
(3) Exam. Cap. IV. §. 11 et §. 1.
(4) Lib. 5. vitæ P. Ignatii ubi in glaciem se conjicit.
(5) P. VI. Cap. II. §. 16.
(6) P. I. Cap. IV. §. 3. et clarius B. et Exam. Cap. IV. §. 1.

nentiam Instituti; id quod est fundamentum totius mortificationis nostræ circa omnia.

Secundo. Jacto hoc fundamento, circa bonorum temporalium mortificationem aliquid etiam habet proprium Societas ante ingressum, idest antequam in Domo aliqua vel ejus Collegio sub obedientia vivere aliquis incipiat; ut scilicet omnia bona temporalia, quæ habuerit, distribuat, et renuntiet, ac disponat de his, quæ ipsi obvenire possunt; eaque (1) distributio fiat primum in res debitas et obligatorias, et quam citissime; si vero tales nullæ fuerint, in pia et sancta opera, juxta illud : *Dispersit, dedit pauperibus*, etc. : et *si vis perfectus esse*, etc. Et hoc pro sua devotione (2) et arbitratu, etiamsi in dubiis relinqueret parentibus, vel cuicumque loco Societatis. Quod si propter honestas causas judicio Societatis statim bona non relinquat, debet non solum esse paratus (3) animo, sed etiam promittere omnia se relicturum post unum ab ingressu absolutum annum, quandocumque per Superiorem ei fuerit injunctum, quæ promissio simplex est, et non votum, ut habetur Can. I. Congr. III. Et horum (4) scopus, ac finis est, a se omnem fiduciam removere de iisdem bonis ullo umquam tempore recuperandis. Si bona sint ecclesiastica, non tenetur (5) relinquere nisi post annum, idque jubente (6) Generali, vel Provinciali; quod ideo fortasse, quoniam renuntiatio bonorum ecclesiasticorum non est ita facilis et expedita, ut quæ pendeat a Summo Pontifice, vel Prælatis, et requirat maturiorem considerationem, cui, et quomodo debite fieri debeat; et præterea quia non videtur esse tantum periculum proprietatis in his atque in aliis bonis; demum æquius est his bonis non privari virum Ecclesiasticum, ut dimissus ante annum habeat unde honeste vivere possit, et similia.

(1) Exam. Cap. IV. §. 1. 2. et 3.
(2) Exam. ubi supra et P. III. Cap. I. §. 7. G.
(3) Exam. Cap. IV. §. 3.
(4) Exam. Cap. IV. §. 1.
(5) Exam. Cap. IV §. 5.
(6) Can. 1. Cong. 1.

Tertio. Post ingressum si contingat propter justas causas eum non renuntiasse, proprium est Societatis (1) licet possit retineri jus ad bona temporalia usque dum ad statum Professi, vel Coadjutoris formati admittantur Nostri; tamen 1. debeant (2) esse parati, quandocumque per Superiorem eis fuerit injunctum renuntiare, et hoc tunc fieri debet, (3) quando Superior judicaret in hujusmodi bonis tentationum occasiones et minus proficiendi in spiritu aliquem habere, ut qui illis adhæreat aliquo immoderato amore et confidentia. 2. Etiam quamdiu retinent, nequeant quidpiam de illis dare vel disponere sine facultate Superioris. 3. Ut (4) illorum nihil neque apud se neque apud alios habere possint. 4. Ut (5) quoad usum nulla re tanquam propria utantur, mutuando, dando, accipiendo, dispensando, etiam minima. 4. Ut (6) nihil habeant superflui in ipso usu rerum. 6. Ut persuadeant sibi rationem vivendi in omnibus fore ut pauperibus accommodatam. 7. Et (7) horum vilissima quæque sibi debere tribui. 8. Demum parati (8) esse debent ostiatim mendicare, etc.

Quarto. In distributione autem facienda: 1. vult (9) Societas pauperibus distribui, et non affinibus, et hoc *a*. ut sequamur Christi Domini consilium perfectiori modo. *b*. Ut melius exemplum exhibeant cavendi inordinatum affectum erga parentes et affines. *c*. Ut incommoda inordinatæ distributionis, quæ ab amore proprio procedit, declinentur. *d*. Ut tollatur ansa recurrendi ad parentes, etc. *e*. Ut præcludatur aditus ad inutilem ipsorum memoriam. *f*. Ut sic firmius et stabilius in sua vocatione perseverent nostri. 2. Deinde (10) quoad hoc pro-

(1) Exam. Cap. IV. §. 2.
(2) Exam. Cap. IV. §. 3.
(3) P. III. Cap. I. §. 7. et P. VI. Cap. II. H.
(4) Exam. Cap. IV. §. 4. et P. VI. Cap. II. §. 2. H.
(5) P. III. Cap I. §. 7. et P. VI. Cap. II. §. 2.
(6) P. VI. Cap II. §. 2. et P. III. Cap. II. §. 3.
(7) Exam. Cap. IV. §. 26
(8) Exam. Cap. IV. §. 27. P. VI. Cap. II. §. 10. I. et P. IV. Cap. II. §. 6.
(9) Exam. Cap. IV. §. 2. et P. III. Cap. I. §. 7. G.
(10) P. III. Cap. II. §. 7. F.

priæ devotioni relinquit totum negotium. 3. Quando (1) vero dubitaretur, num majoris foret perfectionis renuntiare consanguineis, tunc aliorum judicio standum esse. 4. Quando in (2) Societatis subsidium renuntiatio fiat, majus et universalius bonum Societatis spectando, totum judicium relinquendum esse ei, qui ejus universæ curam habet.

Quinto. Quod attinet ad patriam, parentes, consanguineos, et amicos, mortificatio Societatis debet esse undequaque perfecta, ut 1. non solum (3) illicitum et inordinatum, sed etiam alioquin licitum mere tamen humanum carnis affectum omnem, tanquam mundo et amori proprio mortuus, ac soli Christo vivens, exuat, juxta Christi Domini consilium: *Qui reliquerit patrem*, *etc.*, et *Qui non odit patrem*, *etc.* 2. Nec tamen in hoc officium virtutis erga illos vult deseri, sed amorem illum converti in spiritualem, ita ut Christum Dominum habeat loco parentum, fratrum, et rerum omnium; et consanguineos, ac parentes eo solum amore diligat, quem ordinata charitas exigit ad salutem et perfectionem eorum procurandam, sine propriæ perfectionis detrimento, quod Instituti proprium est. 3. Ea debet (4) esse hujus affectus exspoliatio, ut etiam quoad modum loquendi exprimatur, unde dicendum nostris esset, se *habuisse* parentes, non *habere*, et hoc potissimum Novitiis. 4. Ut omnis (5) communicatio et scripto et verbo cum hujusmodi tollatur, nisi qualem præscribit Superior, ut: quoad allocutionem, cum erit brevis, per Superiorem immediatum, qui debet socium adjungere; cum futura est longa, aut sine socio, nonnisi per supremum, qui est Provincialis; quoad litteras autem, nec accipere aliunde ad se datas, nec scribere, nec dare ad alios sine facultate. 5. Scopus (6) autem horum est. *a.* Evitatio perturbationis ad profec-

(1) Exam. Cap. IV. §. 3. et 5. et P. III. Cap. I. G.
(2) P. III. Cap. I. §. 9. K. Can. 3. Cong. II. Can. 3. Cong. III.
(3) Exam. Cap. IV. §. 7.
(4) Exam. Cap. IV. C.
(5) Exam. Cap. IV. §. 6. et P. III. Cap. I. §. 2. et declar. B.
(6) Exam. Cap. IV. §. 6. P. III. Cap. I. §. 2.

tum majorem in spiritu. *b.* Ut disponantur ad amorem omnium nationum universalem, præciso particulari hoc affectu. *c.* Ut (1) paratiores hoc pacto sint diversa loca peragrare, et cum animi quiete vitam agere in quavis mundi plaga. 6. Hinc, ut omnes ansas deficiendi, aut cujuscumque imperfectionis in hoc affectu præcidat suis Societas, præscribit : cum sunt bona relinquenda, servari modum supradictum; cum visitandi (2) consanguinei, vel alia illis auxilia præstanda, tam spiritualia, quam temporalia, etiam in necessitate, aliorum judicio stari; item (3) ne quis examinatoris fungatur officio erga amicos et consanguineos, si quid inordinati affectus timeretur. Demum (4) si nimius sit hic affectus et inordinatus, etiam in Generali, in alienandis bonis Collegiorum, casus ponitur sufficiens ad illum deponendum.

Sexto. Honoris mortificatio, quæ una est ex speciebus ipsius, in Societate nostra maxime propria est, et quidem excellentissima. Nam et abdicat Societas ea omnia, quæ ad honorem quodam modo pertinent, et appetit etiam quæ ad ejus contemptum faciunt, et in vilibus ac abjectis exercere suos apprime studet. Hinc est, quod abdicationis est proprium, quod nullam vult curam haberi loci insignioris, neque privatim domi, ut in (5) refectorio et aliis conventibus, neque publice ut in gradibus litterariis (6) Magistrorum, Doctoratus, etc., suscipiendis. Item neque (7) gradus, neque (8) insignia, neque titulos, sive (9) gradus, sive (10) nobilitatis, quod ad se attinet, vult admitti ab hominibus nostris Societas, nisi ex aliqua necessitate, si alias non posset suum consequi finem ad Dei glo-

(1) P. III.. Cap. II. G. P. IV. Procem. A. P. VII. Cap. 1. §. 1. Cap. II. H.
(2) Exam. Cap. III. §. 3.
(3) P. I. Cap. I. §. 4.
(4) P. IX. Cap. IV. §. 7. D.
(5) Can. 30. Cong. 1.
(6) P. IV. Cap. VI. §. 17. Cap. XV. §. 4.
(7) Reg. 62. Off. Prov.
(8) Can. 19. Cong. I. P. IV. Cap. XVII. §. 8.
(9) Reg. 64. Provinc.
(10) Can. 2. Cong. II.

riam et proximorum salutem, et hoc nonnisi de licentia Generalis Præpositi. Item (1) nullis vult Nostros uti privilegiis aut prærogativis, quibus vel minimum omnium de Societate præcedant. Item (2) ut suo juri cedant circa manifestationem suorum defectuum, et quarumcumque omnium rerum suarum, ut per quemcumque, nullo servato ordine correctionis fraternæ, Superiori deferri possint. Item quod ad dignitates (3), et prælationes spectat, ita se abdicat Societas, ut non solum procurationem earum, sive directe, sive indirecte, excludat omnino, sed et spem, et appetitum omnem præcidat, tam extra, quam intra ipsam Societatem; quin imo severissime (4) punit circa hoc vel levissime delinquentes. Denique ad hoc voto se (5) adstingit religiosissime, quod et valde novum est et insigne, et maxime proprium solius Societatis. Et propterea (6) ad omnem ambitionis speciem et cogitationem tollendam, vult Generalem esse quamdiu vivit, non temporarium.

Præterea, ad ulteriorem gradum hujus mortificationis contendens Societas, in primis vult, ut nemo se alteri præferat, sed superiores se invicem arbitrantes honore se mutuo præveniant. Deinde (7) ut vilissima quisque velit ac persuadeat sibi dari. Item ut ament, et ardenter exoptent contumelias, et injurias pati, est stulti haberi, sive a nostris, sive (8) ab externis, quod est summus apex hujus mortificationis. Denique ob majorem prædicti honoris mortificationem, hoc ipsum occultat modo quodam communi vivendi, qui nullam externam speciem abjectionis præ se ferat, ne ob id scilicet honorem ab aliis consequatur.

Demum quoad exercitium mortificationis, qui postremus est

(1) Exam. Cap. VII. §. 4.
(2) Exam. Cap. IV. §. 8.
(3) P. X. §. 6. et P. IX. Cap. IV. §. 5. Cap. III. §. 13.
(4) P. VIII. Cap. VI. §. 2.
(5) In formula votorum simplic. post Profess.
(6) P. IX. Cap. I. A.
(7) Exam. Cap. IV. §. 26.
(8) Ut supra §. 44. et 45.

gradus, variis officiis ac ministeriis (1) abjectis et humilibus vult exerceri suos Societas, non solum domi, sed foris etiam (2) toto vitæ tempore, non solum in Novitiatu. Hinc habet ut propria sibi Ministeria eruditionem pucrorum in scholis, docere (3) doctrinam christianam rudes, inservire (4) hospitalibus, mendicare, (5) laceris etiam (6) ac detritis vestibus uti.

Septimo. Non solum in his, quæ *extra nos* sunt, mortificationis studium impense quærit Societas; sed etiam et multo magis in reliquis, quæ *in nobis* sunt, ut sensualitas, passiones propriæ, voluntas, ac judicium, et hujusmodi.

Circa *sensualitatem* autem, *passiones*, et pravos illarum habitus, excellentissimum genus mortificationis nobis est proprium, scilicet universi (7) amoris proprii et sensualis abnegatio, sensuum (8) externorum summa cautela et moderatio, denique (9) difficultatis omnis circa hujusmodi superatio et victoria. Atque hanc tanti facit Societas, ut eum, in quo non videat domari posse passiones et affectus, aut habituum pravorum non magnam emendationem sperari, si Societatem (10) petat, excludat, si in ea sit, a se (11) expellat. Quare et continuum (12) vult in his, qui in ea vivunt, hujus mortificationis particulare studium, ne dum in firmis ac sanis, sed quod mirum est, etiam (13) in ægrotis.

Scopi autem hujus mortificationis hi esse possunt. 1. Ut

(1) Exam. Cap. IV. §. 15. et 28. P. III. Cap. I. §. 22. et 13.
(2) Exam. Cap. IV. §. 46.
(3) P. V. Cap. III. §. 2. B. et Exam. Cap. IV §. 22.
(4) Exam. Cap. IV. §. 11.
(5) Ibid. §. 12. et 27.
(6) P. III. Cap. II. §. 5. C.
(7) P. III. Cap. I. §. 9. et in Exerc. Consid. de Regno Christi et P. VIII. Cap. I. §. 8.
(9) P. III. Cap. I. §. 4 et 5. et in Reg. Modest.
(10) Exam. Cap. IV. §. 28. et P. III. Cap. I. §. 25.
(4) P. I. Cap. 5. §. 9.
(5) P. II. Cap. II. §. 2. et P. VIII. Cap. I. §. 2.
(6) Exam. Cap. IV. §. 46. et P. III. Cap. I. §. 27
(7) P. III. Cap. II. G. et Cap. I. §. 17. et Exam. Cap. IV. §. 32. et P. VI. Cap. IV. §. 1.

tollatur omnis (1) cura superflua rerum corporalium, et (2) excessus in his vel minimus. 2. Ut (3) plane subjiciatur sensus rationi, quod est ad solidas virtutes acquirendas maxima dispositio, et potissime ad (4) pacem et humilitatem internam. 3. Ut assuescatur ad patienda (5) incommoda quæcumque ad primorum Patrum imitationem. 4. Ut etiam Deo pro peccatis (6) satisfiat, et demum. 5. Ut dona et gratiæ a Deo impetrentur.

Mensura hujus mortificationis est, ut duo vitentur extrema : Alterum ne (7) ob nimiam relaxationem ejus, humani affectus inferiores incalescant; alterum ne nimio ejus usu tantopere vires corporis debilitentur, vel tantum insumatur temporis, ut et valetudini (8) damnum inferatur, et labores in salutem proximi impediantur.

Praxis autem hujus desumi potest, tum ex supradictis de mortificatione in genere, tum etiam ex (9) regulis positis a P. Ignatio de temperando victu in Exercitiis.

Circa *voluntatis et judicii* mortificationem, hæc maxime propria est Societatis nostræ, et hanc etiam excellentissimam procurat, ac tanti facit, ut (10) obduratos in suo sensu atque difficiles, nec admittat in suum corpus, neque vero retineat admissos. Et in his, quos retinet, magnam vult judicii abnegationem, et in (11) Consultoribus, et in (12) Superioribus, atque hoc circa omnia, et potissimum in distributione bonorum, in opinionibus (13) circa studia et doctrinam, in admis-

(1) P. III. Cap. II. §. 1.
(2) P. VI. Cap. III. §. 1.
(3) Addit. 10. Exerc.
(4) P. III. Cap. I. §. 4.
(5) Exam. Cap. IV. §. 26.
(6) Addit. 10. Exerc.
(7. P. III. Cap. II. §. 5. et P. VI. Cap. III. §. 1. et P. X. §. 10. item §. 15
(8) In Exerc. Addit. 10 et Reg. 4. de temper. victu.
(9) Addit. 10. et de temper. victu.
(10) P. I. Cap. II. §. 4. et Cap. III. infra §. 14. P. II. Cap. II. §. 4.
(11) Reg. 7. Consult.
(12) P. IV. Cap. X. §. 8. et Reg. 20. Rect.
(13) Exam. Cap. III. §. 2. et P. III. Cap. I. O.

sione (1) ad statum, in rebus (2) spiritualibus, in applicatione ad hæc vel illa ministeria, demum in reliquis omnibus.

Scopus hujus mortificationis est dispositio immediata ad perfectissimam obedientiam.

Octavo. Postremum mortificationis genus est circa res spirituales, ut (3) devotiones, illustrationes, consolationes, et alia hujusmodi, quod est omnium altissimum. Est autem, ut in his omnibus omnes excessus tollantur juxta spiritum Societatis, et directionem patris spiritualis, ac Superioris.

Scopi autem sunt : hi 1. vitare (4) illusiones dæmonis, quæ crebræ esse solent, et maximi periculi. 2. (5) Indiscretas devotiones moderari. 3. (6) Obliquas electiones dirigere. 4. (7) Rectificatio intentionis. 5. Unio cum Deo solidior, ac major. 6. Incumbere perfectioni, et solidis virtutibus secundum (8) mensuram gratiæ, etc. 7. Operari erga proximorum salutem expeditissime, et fructuose.

DE VIA ILLUMINATIVA.

In hac via quærimus illas virtutes, quæ nostri Instituti sunt propriæ, et quod in ipsis est nobis proprium. Inter has autem primo eas ponemus quæ ad nos pertinent; deinde eas quæ ad proximum referuntur; demum quæ erga Deum sunt eo modo, quo superius tractavimus eas quæ sunt viæ purgativæ.

DE AFFECTU ERGA INSTITUTUM.

Quoniam quædam virtutes sunt quasi fontes et capita universalia, ab his primum incipimus, et ab hoc affectu præcipue

(1) Exam. Cap. V. §. 8.

(2) Exam. Cap. III. §. 12.

(3) P. III. Cap. I. §. 10. et in vita P. Ignat. dum illustrationes divinas prætermisit ob Grammaticam. Ex Maff. L. 1. C. med. et P. IV. Cap. IV. §. 2. modus imponitur Orationi et Communioni propter studium. B.

(4) P. III. Cap. I. §. 10.

(5) P. I. Cap. III. §. 12.

(6) Prælud. Exerc.

(7) P. III. Cap. I. §. 26.

(8) P. VI. Cap. I. §. 1. et P. III. Cap. I. §. 20.

erga Institutum, qui reliquis merito præponendus videtur, tamquam religiosæ institutionis ac vitæ basis ac fundamentum.

Porro duo amplectitur hæc virtus scilicet, *notitiam* Instituti, et erga illud *amorem et affectionem*.

Ad *notitiam* autem Instituti hæc proprie pertinent, ut ex Constitutionibus colligimus. 1. Ut nihil sinistri (1) admittatur in formando judicio de Societate, et quoad conceptum de ipsius Instituto, sive in iis quæ ad finem, sive in iis quæ ad media pertinent, quæ ad ministeria, quæ ad modum illa exercendi, et similia. 2. Nihil item novi ac peregrini ab ejus spiritu : propterea tam in formula Congregationis (2) Provincialis, quam Generalis (3) cautum est, ne quidpiam tractetur, quoad mutationem substantialium nostri Instituti ex decreto (4) I. et (5) II. Congregationis. 3. Ut plena habeatur notitia Instituti, et omnium difficultatum ejus pro cujuscumque captu et gradu, ut habetur in officio Magistri Novitiorum.

4. Hujus autem notitiæ scopus est multiplex : 1. (6) satisfactio propria cujusque, et stabilitas contra impugnationes dæmonis contra hoc ipsum. 2. Ut quilibet possit in suis actionibus, habita hac plena notitia, artem et prudentiam eam sibi comparare, qua omnia operetur deducendo ea ex Instituti ratione, non secus ac Generalis, et tota Societas tenetur, proportione tamen quadam juxta cujusque proprium gradum; et hoc est, quod sæpius Constitutiones nostræ (7) usurpant : *ut majori cum lumine procedatur.* Hinc debet esse hæc notitia Nostris fere semper ob oculos, atque continua, ut monemur in Bulla I. Pauli III. 3. Ad rationem epikejæ, qua non solum Superior, sed etiam aliquando debent uti subditi, nimirum quando non

(1) Reg. 4. Instruct. ad reddendam rationem conscientiæ.
(2) Cap. VII. §. 66.
(3) Cap. V. §. 44. et 46.
(4) Tit. 1. Decr. 16. Cap. II. Reg. 15.
(5) Decr. 9.
(6) Ibid. in offic. Magistri novit.
(7) Exam. Cap. I. §. 7. et P. I. Cap. IV. §. ult

habent ad manus Superiorem, quem adeant, quod in multis potest evenire, quia leges nostræ sunt (1) universales, et ad particularia ut plurimum non descendunt, in quibus debebunt seipsos dirigere, juxta Legislatoris tamen mentem et spiritum Instituti. Hinc est quod (2) admissis ad statum, quos viros plane spirituales supponit, P. N. Ignatius non præscribit Regulam circa orationem et mortificationem, ut ipsi possint discreta charitate se dirigere; quo ut perveniant Nostri, necessarius est rectus usus epikejæ inde ad initio pro uniuscujusque gradu; quod tamen non solum non detrahit cuicumque perfectæ observationi Regularum et Instituti, sed et maxime confert, et est quasi anima observationis, et ipsiusmet Instituti. 4. Ad defensionem Instituti, ut cum opus erit parati simus ad reddendam rationem non solum omni (3) petenti, sed (4) contradicentibus et calumniantibus nos. 5. Ad (5) traditionem conservandam et proprium modum procedendi Societatis, primumque Instituti spiritum retinendum, et inter alia pro admittendis (6) idoneis, et ineptis dimittendis. 6. Qui magis particularis est, et non omnium, ad (7) condendas leges in Congregationibus Generalibus, ad (8) consulendum item, et (9) gubernandum, propter declarationem et dispensationem, quibus uti sæpe necesse est.

Debet autem esse hæc notitia non qualiscumque, sed eminens, et quæ bonam pariat (10) existimationem de toto Instituto, et de singulis ad ipsum pertinentibus, etiam minutissimis. Et hæc de notitia.

Quoad *affectum* autem et *amorem* erga Institutum, quanti

(1) Procem. Const. decl.
(2) P. VI. Cap. III. §. 1.
(3) Bulla 1.
(4) P. X. B.
(5) P. I. Cap. I. §. 4.
(6) Ibid et P. II. Cap. II. §. 3.
(7) Forma Cong. Gen. Cap. IV. §. 17. et P. VIII. Cap. II. B. Cong. Proc. §. 16.
(8) Reg. Assist. Reg. 14. Consult.
(9) Reg. 10 et 17. Rect. et P. IV. Cap. X. B. et P. IX. Cap. III. §. 8
(10) Reg. 4. et 5. ad redd. rat. conscientiæ

illum faciat Societas patet 1. Quia etiam in (1) Coadjutoribus temporalibus illum requirit, nimirum, ut sint bene affecti. 2. Quia in (2) omnibus vult affectum vivendi, et moriendi cum hac et in hac Societate. 3. Quia etiam mortem (3) oppetere pro bono ipsius conservando debet Generalis. 4. Quia etiam in (4) Examinatore, et eo qui facultatem habet admittendi, in primis requiritur, ut bene munere isto fungantur. 5. Quia (5) petitur de hoc in reddenda ratione conscientiæ. 6. Quia (6) eos, qui ad alia Instituta fuerint ingressi, admitti non vult; et est unum ex quinque impedimentis.

Hinc multa bona tamquam ex fonte derivantur Nostris omnibus, puta (7) exacta observatio Regularum, (8) affici ad ministeria Societatis, hilaritas et promptitudo in illis, victoria in omnibus adversis et difficilibus, (9) procuratio omnis boni Societatis, circa eventus bonos aut malos lætitia vel mœror, et similia quæ ex amore nascuntur.

Hic affectus etsi maximus in Nostris, sincerissimus tamen ac purissimus esse debet, hoc est, non ex humana quadam prudentia et spiritu politico, qui nimiam quamdam parere solet tenacitatem et pertinaciam, et vitiosam etiam animi elationem per contentiones, ac rixas, et inanes complacentias, ac laudes cum aliorum contemptu; cum quoad ista proprium sit nostri Instituti, ut submisse et magna cum humilitate de ipso sentiatur : sed totus iste affectus oriatur necesse est ex principiis spiritus, idest ex gratia vocationis, atque adeo ex (10) finis penetratione; et affectu erga illum, qui cum nobilissimus et præstantissimus sit, maximum sui amorem excitat in animis

(1) P. I. Cap. II. §. 2. et Exam. Cap. VI. §. 7.
(2) Exam. Cap. III. §. 14.
(3) P. IX. Cap. II. §. 5.
(4) P. I. Cap. I. §. 4. C.
(5) Reg. 5.
(6) Exam. Cap. II. §. 3.
(7) P. III. Cap. I. §. 28. et P. X. §. 13
(8) P. I. Cap. II. §. 8.
(9) P. IX. Cap. V. §. 1.
(10) P. I. Cap. II. §. 8. C.

eorum qui sibi illum proposuerunt, unde et ad Institutum affici necesse est, qui illum finem habeant; demum ex ipsamet praxi Instituti, se enim invicem juvant. Estque hic affectus ingenuus ac liberalis in his qui sunt de Societate, quo et bene sentiunt de omnibus, et ad omnium bonum afficiuntur, ipsumque procurant quoad possunt. Unde et bene sentire de omnibus, et loqui, et eorum defectus tegere, et reformationi eorum quocumque modo possint, saltem orationibus auxilio, esse proprium erit eorum, qui spiritum habent Instituti. Ratio autem horum esse videtur, quia spiritus Societatis totus, etiam quoad affectum, architectonicus esse debet, omnium bonum universe complectens. Atque hæc fortasse inter alias causas esse videtur, cur P. Ignatius in Societatem non vult admitti aliorum Ordinum homines, et ne illis occasionem det justæ indignationis si transfugas admitteret, et ne illos privet his qui possent moribus et doctrina reliquis in suo Ordine adjumento esse.

Necessitas hujus affectus erga nostrum Institutum quam maxima est, tum ad superandas graves difficultates ac labores ipsius; tum propter ejus novitatem, quæ maximis calumniis et apparentibus contradictionibus multorum exposita est, quæ animum commoveant necesse est ejus qui non sit valde affectus; tum demum quia nulla alia media habet hoc Institutum humana, ac nullum ut ita dicam *interesse*, quibus juvetur, ac sublevetur humana imbecillitas, nisi amorem. Non enim timorem habet culpæ, ad quam obliget, neque pœnæ, ut compedum, carcerum etc, neque vero spem dignitatum, exemptionum, aut privilegiorum in convictu. Unde patet, quanto studio sit procurandus hic affectus, cui vice reliquorum omnium innititur Institutum.

Praxis autem ad procurandum hunc affectum multiplex est. Mirum enim in modum juvat : 1. Studium Constitutionum ac Regularum, non solum quod cuique præscribitur in particulari, sed continuum cum reflexione et arte. 2. Meditatio frequens ipsius, præsertim in Oratione quotidiana, in qua crebro admiscenda essent, quæ nostri sunt Instituti. (1) offerendo se

(1) P. X. §. 1.

Deo. et pro bono Societatis orando. 3. Interpretari omnia quæ ad ipsum spectant, non solum sane, sed alte, atque ut dictum est defendere, bene loqui, atque laudare cum debita moderatione. 4. Juvabunt etiam familiares collocutiones inter nostros de his. 5. (1) Exhortationes. 6. Exercere cum magno affectu et devotione ministeria Societatis juxta id, quod habent proprium, juxta spiritum Instituti, prætermittendo peregrinos et alienos modos, quamvis speciosissimos. 7. Habere quamdam veluti picturam et typum eorum, quæ habet Societas excellentissima.

II. DE INDIFFERENTIA.

Indifferentia maxime propria (*) est nostri Instituti, et post ejus affectum virtus omnium prima et aliarum in suo genere fundamentum, debetque esse omnium perfectissima, ut dictum est. Eam autem requirit Societas in omnibus personis, et quoad omnia. Et 1. quidem in ipsomet ingressu, ut scilicet admittendus (2) paratus sit et indifferens ad quoscumque gradus, statum, et officium, etiam vilissimum ac minimum, idque etiam per totam vitam, cum (3) existimatione altissima divini obsequii in eo 2. Post ingressum, admissus in Societatem (4) nihil debet procurare, neque petere quidquam, aut agere sine indifferentia. 3. Indifferentia etiam requiritur in studiis (5) scholasticorum nostrorum, tum quoad tempus, tum quoad modum. 4. Admissus ad (6) certum gradum et statum non debet procurare mutationem in alterum, sed stabilitatem ac perfectio-

(1) P. III. Cap. I. §. 28.

(*) Habetur in Fund. Exerc. imo magis proprie in prælud. elect. In mat. elect damn. obliqua electio. In secunda classe notatur defectus indifferentiæ.

(2) Exam. Cap. I. §. 7. et 11. et Cap. IV. §. 17. et Cap. V. §. ult. et Cap. VIII. §. 2.

(3) Exam. Cap. V. §. ult. et Cap. VIII. §. 2.

(4) Exam. Cap. VIII. A. et P. III. Cap. II. §. 1. P. VII. Cap. III. §. 1. quoad locum in Mission.

(5) Exam. Cap. VII. §. 2. P. IV. Cap. V. §. 2.

(6) Exam. Cap. VI. §. 5. et P. V. Cap. IV. §. 5.

nem (1) in eo. 5. In (2) cujuscumque rei, et præsertim (3) Generalis electione usque ad inclusionem. 6. Denique etiam in rebus (4) spiritualibus, ut dictum est supra, tam quoad virtutes, quam quoad consolationes et visitationes spirituales.

Scopus hujus virtutis est item multiplex : 1. Dispositio ad (5) obedientiam. 2. ad (6) humilitatem majorem. 3. Ut magis a divina (7) Providentia dependeat, certiorque sit se ab ea dirigi. 4. Quia (8) est ad divinos influxus via, et ad unionem cum Deo perfectiorem. 5. Ut (9) stabilius ac immobilius, tum in sua vocatione, tum in rebus omnibus progrediatur, quia nihil sibi, aut creaturis aliis, sed soli Deo nititur, qui nescit mutationem. 6. Ut aptior sit ad electionem omnium agendorum, ut in Exercitiis (10) habetur. 7. Quies et promptitudo (11) in omnibus, qua omnis tollitur difficultas in regimine, tam ex parte Superiorum, quam inferiorum. 8. Est dispositio ad majus lumen, quia præjudicatæ opiniones plurimum impediunt rectam judicii existimationem. Unde docilitas nascitur in negotiis, et (12) amabilitas apud alios, omnium moribus se attemperando, studendo omnibus omnia fieri.

Necessitas maxima est hujus virtutis in Societate, tum propter (13) statuum et graduum varietatem, tum propter ministeriorum diversitatem et illimitationem. Non sicut aliæ Religiones, quæ vel tempore; vel talentis, vel gradibus mensurant applicationem suorum. Societas non sic : non enim quia mansit annum, Professus fit; non quia professus, aut magister in artibus,

(1) P. V. Cap. IV. §. 5.
(2) II. Punct. prioris modi eligen. Exerc.
(3) P. VIII. Cap. VI. §. 1.
(4) P. III. Cap. I. §. 10.
(5) P. III. Cap. I. §. 23. et P. IV. Cap. X. §. 5. et P. VI. Cap. I. §. 1.
(6) Exam. Cap. V. §. 8.
(7) P. VI. Cap. I. §. 1.
(8) Annot. 15. et 16. Exerc.
(9) Exam. Cap. VI. §. V.
(10) Præl. ad elect.
(11) Exam. Cap. VIII. §. 2.
(12) Lib. I. Cap. XXI. Vit. P. Ign. Maff.
(13) Exam. Cap. VIII. §. 1. et 2.

ideo non applicatur ad alia inferiora, etc. Præterea aliæ Religiones non indigent tanta indifferentia, cum suas leges habeant certas, firmas ac inviolabiles, circa quas Superior imminuere quidpiam, alterare, aut mutare non potest. In Societate omnia fere remittuntur judicio Superioris, unde ad arbitrium ipsius debent omnes se componere, et ad omnia esse parati, quippe qui sive in officiis, sive in exercitiis, sive in gradibus, quoad tempus locum et alia, potest mutare et alterare, prout melius illi in Domino videbitur.

Praxis ad hanc indifferentiam, tum obtinendam, tum exercendam est. 1. Abnegatio sui, (1) amoris ac commodi proprii, ut superius dictum est in materia de mortificatione. 2. Juvat (2) ut cum in alteram partem inclinamus minus rectam, affectus in oppositam impellamus per assiduas orationes, et alia pia exercitia. Item ut (3) in securiorem semper partem propendeamus, et contra amorem proprium. Item ut etiam (4) optima deponamus per indifferentiam, ut purgata sit omnino nostra affectio. Unde P. Ignatius suasit P. Lainez cupienti Indiam, ut desiderium deponeret, immo vero in oppositum inclinaret, ut se redderet omnino indifferentem ad divinum beneplacitum. 3. Quare nihil cogitandum est, dum affectum et inclinationem vult quis exuere, de re ad quam non habeat indifferentiam, quod de (5) eleemosynis distribuendis monet P. Ignatius. 4. Quin etiam (6) ita purgatus debet esse affectus, ut ex solo Dei amore cœlitus infuso feratur in rem ipsam, et hunc solum sentiat in se esse radicem et causam cujusque affectionis suæ. Atque hujus indifferentiæ, et purgati affectus, tres illæ regulæ posterioris (7) modi bene eligendi sunt veluti lapis lydius, quibus et judicari et procurari debent. Ex quibus omnibus sequitur electio, qua uti debent homines Societatis in omnibus

(1) In Exerc.
(2) Annot. 16. Exerc.
(3) In Exerc.
(4) Lib. V. Vit. P. Ignat. Cap. IV. Ribad.
(5) Reg. V. de distrib. eleem.
(6) Mod. post. eligend. Reg. de distrib. eleem. Reg. 5.
(7) Ubi de elect.

agendis, cum directione tamen Superioris; et hoc est maxime proprium Instituti nostri, cujus est in omnibus majorem Dei gloriam quærere ex virtute et electione.

III. DE STUDIO SOLIDARUM VIRTUTUM.

1. Studium solidarum virtutum, quod ex affectu Instituti cum indifferentia dicta oritur, maxime requiritur, et est virtus quædam hominibus Societatis maxime propria; et in primis in (1) Constitutionibus nostris commendata. Sunt autem solidæ virtutes, quas supra descripsimus, dum in communi loqueremur de ipsis. 2. Hinc (2) est quod nedum in aliis, sed etiam in admittendis Coadjutoribus temporalibus, hunc amorem virtutis ac perfectionis tanquam propriam notam spiritus vocationis nostræ requirit Societas. 3. In (3) Scholasticis vero hoc studium tanquam fundamentum ponit ad doctrinam acquirendam. 4. Quin (4) etiam cavit ne fervore studiorum tepesceret. 5. Propterea (5) tertium annum Probationis post exacta studia suis præcipit. 6. Tanti facit hoc (6) studium Societas, ut talenta et dona gratis data veluti corpus existimet, virtutes autem solidas ut spiritum et animam. 7. Atque hinc est, quod nihili facit gratuita respectu solidarum virtutum. Unde (7) quamvis habeant magna talenta homines Societatis, et per illa multa præstare etiam plausibilia et speciosa videantur, si virtutibus illis careant, eos ab illis ministeriis avocat, cum se emendare noluerint. 8. Proprium (8) Societatis, in ministeriis erga proximorum salutem potius niti huic studio solidarum virtutum et probitati, quam talentis quibuscumque, quod hæc oporteat ab illis tamquam ab anima efficaciam suam accipere. 9. Tantum (9)

(1) P. III. Cap. I. §. 10. et 27. et P. X. §. 2. Exam. Cap. IV, §. 46.
(2) P. I. Cap. II. §. 2. et 8.
(3) P. IV. in procem. et P. III. Cap. I. §. 27.
(4) P. IV. Cap. IV. §. 1.
(5) P. V. Cap. II. §. 1
(6) P. X. §. 2.
(7) Reg. Provinc.
(8) P. X. §. 2 et 5. P. V. Cap. II. §. 1 et P. VII. Cap. IV §. 2
(9) Exam. Cap. IV. §. 26.

autem vult esse hoc studium Societas, ut primorum nostrorum Patrum exempla etiam superare contendamus. 10. Hinc est quod (1) Professis, quasi viris in harum virtutum studio consummatis, nulla alia fere præscribitur lex, nisi quam discreta charitas unicuique dictaverit. Similiter eos, qui in Missionibus versantur, hoc studio ita confirmatos supponit, ac vult ut sibi ipsi sint regula viva et animata. 11. Necessitas (2) autem hujus studii summa est; quia cum non habeamus in Societate extrinseca quædam adjumenta ordinaria, sicut aliæ Religiones, ut disciplinas, claustrum, silentium et similia, neque interna, scilicet obligationem ad peccatum pro observatione regularum ex ipsarum vi, neque externas pœnas, ut compedum et carcerum, etc., oportet ita hoc studio nos esse confirmatos, ut ejus amor vicem omnium et suppleat et longe superet. Hinc suavitas (3) in præcipiendo, ob quam rarissime utimur modo dicendi : *In virtute sanctæ obedientiæ.* 12. Præterea maxime juvat ad superandas difficultates Instituti, quæ non possent universæ superari a nostris hominibus, nisi harum virtutum impenso studio. Item ad vitanda (4) plurima pericula, quæ ex talentis et gratuitis existere possent; sunt enim ruinæ occasio his, qui solidas virtutes non habent, et demum, ut illis bene utamur, ut dictum est supra.

Scopus autem est, tum (5) conservatio Societatis in spiritu, et in externis quoad ministeria sua et functiones recte præstandas; tum unio (6) inter nostros; tum assecutio finis, id est auxilii animarum; tum conjunctio cum Deo; tum demum dispositio ut a divina manu quis recte gubernetur.

Media ad hoc studium inter alia hæc sunt : interna charitas, et amoris lex, quam Spiritus Sanctus, etc. Amor maximus harum virtutum. Diuturna in illis exercitatio ac probatio, qualem

(1) P. VI. Cap. III. §. 1. et 3.
(2) P. VI. Cap. V.
(3) Ibid. et Reg. Rect. 8.
(4) P. VIII. Cap. I. §. 1. A.
(5) P. X. §. 2.
(6) P. VIII. Cap. I. §. 8.

habet Societas antequam admittat ad statum. Exempla aliorum, præsertim primorum antiquorum Patrum, exhortationes, ac collationes familiares.

IV. DE PROGRESSU IN VIRTUTIBUS.

Non solum virtutes solidas consectari, earumque studio impense incumbere Societatis est proprium, sed etiam in illo semper progredi peculiari quodam modo, cujus rei illud est valde proprium signum, quia in Constitutionibus passim hic progressus datur pro ratione multorum, quæ constituuntur ad nostrum Institutum; quo spectat etiam quod crebro usurpare solet P. Ignatius: *Majus Dei obsequium semper intuendo*, vel : *ad majus Dei obsequium*, tamquam illius ratio et causa. Atque ex hoc ipso omnimoda perfectio propria est nostri Instituti. non qualiscumque, sed eorum hominum, qui, cum majorem Dei gloriam in omnibus quærant, semper proficere debeant in studio virtutum, quæ media sunt ad illam, ut supra dictum est. 2. Atque (1) hunc procurare non solum quoad nos, sed quoad proximos debemus ex vi Instituti : nam tum nostra, tum proximorum salus et perfectio ad majorem Dei gloriam nobis est finis, eodemque fere modo de utriusque procuratione loquuntur Constitutiones nostræ. 3. Hinc est quod, quoniam hic progressus non potest duobus annis Novitiatus ordinarie acquiri, neque dignosci, statum quemdam medium inter Novitiatum, et eos qui ad certum statum admitti debent, constituit Societas, in quo exerceantur ac probentur in hoc profectu. Et (2) hæc est ratio cur tantum delectum habeat Societas in admittendis ad Professionem et certum statum, immo vero ad ipsam probationem. 4. Hinc etiam est, quod qui in Societate progredi renuunt aut non curant, sive id sit ob difficultatem laboris in eo, sive ob quietis et remissionis desiderium, sive ob tepiditatem, aut alias causas apparentes, in tentationes varias incidunt, fluctuant in spiritu vocationis, et paulatim deficientes demum gratiam voca-

(1) P. VII. Cap. II. §. 1. et P. IV. Cap. IV. §. ult.
(2) P. X. §. 7.

tionis amittunt. 5. Hinc est, cur tantopere abhorreat Societas a tepiditate et negligentia in hoc profectu procurando, et cur tam multa media tamque efficacia simul ac suavia adhibuerit, tum ad tollenda impedimenta, tum ad stimulos adhibendos, ut (1) exhortationes, lectio frequens regularum, etc.

Quantum autem profectum requirat, ex eo patet: 1. Quia fundamentum ejus quod ponitur in Novitiatu, est non qualiscumque, sed (2) excellens virtus et eximia, et ab hoc gradu incipit progressus. 2. Quia non qualemcumque aut pro quantocumque tempore progressum requirit, sed (3) continuum et toto vitæ tempore. 3. Quia etiam in hoc vult (4) renovationem, non solum in Scholasticis et nondum admissis ad statum per renovationem votorum, sed etiam in omnibus aliis Professis quoque per generales (5) confessiones annuas, quod ad majus devotionis augmentum et majorem confirmationem in spiritu vocationis facit, et (6) per redditionem rationis conscientiæ, in qua illud est peculiare, ut de hoc incremento interrogentur Nostri, et (7) inquiratur. 4. Atque talem videtur requirere profectum in suis Societas, ut velit etiam (8) eos, qui ad statum sunt admissi, quamquam diu multumque (9) exercitatos in virtutibus, in via Domini posse currere de cætero. 5. Talis etiam (10) debebit esse ut nullum finem, nullum agnoscat terminum neque sistat aliquando, usque ad susperandos, nedum imitandos primos Patres, sed ipsum Christum Dominum æmulando, quem propterea P. Ignatius (11) voluit Societatem habere caput, et ducem, nomenque ex illo trahere. Huc spectat cultus (12) inte-

(1) P. III. Cap. I. §. 28. et P. X. §. 3.
(2) Exam. Cap. IV. §. 45. et 46.
(3) Exam. Cap. III. §. 14.
(4) P. IV. Cap. IV. §. 5. et P. V. Cap. IV. §. 3.
(5) P. VI. Cap. I. §. 2. Exam. Cap. IV. §. 40.
(6) In formula §. 9.
(7) Offic. Provinc. Cap. XV. §. 23.
(8) P. VI. Cap. III. §. 1.
(9) P. X. Cap. VII.
(10) Exam. Cap. IV. §. 26.
(11) Lib. II. Cap. II. Vit. P. Ignat. Ribad.
(12) P. III. Cap. I. §. 2. et P. X. §. 2.

rioris hominis Nostrorum, tam proprius Societatis, et tam crebro, et tam gravibus verbis inculcatus. Atque hoc esse debet (1) præcipuum Superiorum nostrorum studium et vigilantia, unde et patet quales (2) conditiones habere debeant Superiores Societatis.

Scopus hujus virtutis multiplex est, (3) præcipuus vero universale bonum, conservatio, et incrementum Societatis et singulorum, et (4) unio nostrorum major.

Praxis est : (5) Superiorum studium, præfecti rerum spiritualium et Confessariorum; (6) examina duo quotidiana, in quibus non vult dispensationem, ut in Oratione mentali, tum generale tum particulare; totius disciplinæ domesticæ tam exactus ordo et observatio; Sacramentorum frequens usus, ac rerum spiritualium studium; demum summa cautela in ministeriis exercendis, cum tot sint impedimenta, quæ tepidis noxia essent, cum tamen reliquis adjumenta sint ad hunc ipsum profectum, etc.

V. DE DIRECTIONE.

I. Cum proprium sit nostri Instituti in omnibus semper majus Dei obsequium, ejusque beneplacitum inquirere et exequi, ab eoque pendere ac regi, hinc fit, ut ejus quoque proprium sit homines Societatis non suo niti judicio debere tanquam proprio, (cum hoc sit maximum impedimentum ad divinam voluntatem et cognoscendam et exequendam;) sed illud penitus abnegantes, ab altero perfecte pendere, quod est ab altero dirigi; et hoc est valde consentaneum divinæ Providentiæ, qua unam creaturam per alteram dirigit ac regit illuminando ac voluntatem suam manifestando; non enim semper illam immediate manifestat, neque per proprium cujusque sensum. Hæc autem directio in Societate non solum inferioribus

(1) Reg. 2. Prov. et Reg. 1. et 25. Off. Rect.
(2) P. IV. Cap. X. §. 4. et 5. et P. IX. Cap. II. et P. X. §. 8.
(3) P. X. §. 2.
(4) P. VIII. Cap. I. §. 8.
(5) P. III. Cap. I. §. 12. in Off. Præf. rerum spiritual. Reg. 1.
(6) P. IV. Cap. IV. §. 2. et 3. A.

sed etiam (1) Superioribus suo modo convenit, imo et his qui aliquando in dignitate constituti extra Societatem viverent præcribitur, ut aliorum de Societate judicium sequantur, et ad hoc se voto obstringunt nostri in forma votorum simplicium post Professionem. Neque loquimur hic de ea, quæ est per divinum lumen aliquando habitum, vel per spiritum Instituti ac Regulas, quibus nostras actiones conformare debemus, quoad ejus fieri potest; sed de ea, quæ est hominis ab homine, in (2) quo quis Deum sibi loquentem suumque beneplacitum aperientem agnoscat et audiat.

II. Quoad subditos autem ista directio non solum in missionibus spectanda est, sed etiam in domibus, quoad ministeria, quæ vel ad interna vel ad externa spectant.

III. Poterit autem esse directio, vel circa rem ipsam, vel (3) circa media, vel circa modum procedendi, sive verbo, sive scripto per instructiones, sive per crebram litterarum communicationem.

IV. Ad hanc directionem spectant in Societate præter Superiores, Confessarii, Præfecti rerum spiritualium, Præfecti studiorum, Ecclesiæ, sanitatis, et similium; collationes casuum conscientiæ, et rerum ad doctrinam et alia pertinentium, crebræ consultationes, et communicationes nostrorum inter se.

V. Nascitur autem hujus directionis necessitas, tum ex (4) imbecillitate humani judicii, quod facile labi potest in sui directione; tum ex varietate, difficultate, et magnitutide rerum, quas tractat Societas; tum (5) demum ex amore proprio, quo cum ducimur facile errare solemus. Unde suadet prudentia, ut aliorum directioni, et nitamur. et acquiescamus.

VI. Quoad superiores vero, et suo modo directio maxime necessaria est ob dictas causas. Hinc omnibus (6) Superioribus

(1) P. X. §. 6.
(2) P. VII. Cap. II. §. 1. Qui eum Christi loco dirigit.
(3) P. VII. Cap. II. §. 2.
(4) Ibidem.
(5) P. VIII. Cap. I. §. 8.
(6) P. IX. Cap. VI. §. 10. et 11. 1.

dantur monitores et consultores, non solum ordinarii, sed etiam xtraordinarii, etiam Generali. Unde P. Ignatius facile se dimoveri a sententia aliquando patiebatur.

VII. Scopus hujus directionis, et veluti fructus sunt, (1) liberatio a periculis et tentationibus (2), unde et (3) securitas major in via spiritus, (4) profectus major, demum (5) augmentum charitatis, et conciliatio amoris, et oppositorum sublatio, ut suspicionum, etc.

VIII. Ad praxim hujus virtutis spectat 1. penetratio difficultatis rerum ipsarum. 2. Cognitio necessitatis istius directionis. 3. Abnegatio proprii judicii, et spiritus submissionis. 4. Amor, et fiducia erga dirigentem. 5. Omnia sua pro rei exigentia et cujusque gradu aperire ei, qui dirigere debet; et, si Superior sit, totaliter, et omnino ab illo pendere; si amicus, in illius partem inclinare, etc.

IX. Quod autem spectat ad apertionem sui quam proxime superius tetigimus: Primun notandum est hanc esse maxime propriam Societatis nostræ, et spiritus Instituti. Unde eam et crebro commendat, et gravissimis verbis et efficacissimis rationibus vult inter nostros retineri P. Ignatius. Quare et ante (6) primam Probationem illam præscribit fieri debere; item (7) postea sexto quoque mense ab ultima vice qua eam præstitit. Præterea (8) scholasticis post absoluta studia tertio probationis anno, ab initio studiorum usque ad illud tempus; et (9) antequam admittantur ad statum Nostri idem facere tenentur triginta diebus ante, (10) admissi quoque ad statum singulis annis, demum omnes, quandocumque Superiori visum fuerit. Aperiri

(1) Exam. Cap. IV. §. 40.
(2) Reg. 13. discr. spirit.
(3) Exam. Cap. IV. §. 39. et P. III. Cap. I. §. 12.
(4) Exam. Cap. IV. §. 36.
(5) P. IV. Cap. I. §. 2.
(6) Exam. Cap. IV. §. 36. et P. I. Cap. IV. §. 6.
(7) Ibidem.
(8) Ibid. §. 39.
(9) Ibid. §. 37. et 38.
(10) Ibid. §. 40. P. VI. Cap. I. §. 2.

autem debent tam (1) interna, quam externa, virtutes, defectus, tentationes, propensiones, motiones animi, (2) res etiam expetendæ, etiam a Summo Pontifice, nedum a quocumque alio, non nisi consció atque consentiente Superiore, tota denique anima nulla re celata. Vult autem P. Ignatius aperiri hæc omnia Superiori (3) tanquam Deo, atque ideo (4) magna cum humilitate, puritate et charitate.

X. Scopus est qui supra positus de directione, et hic sive ad corporis bonum, sive ad animæ profectum, sive ad totius et universæ Societatis incolumitatem. Atque hæc aperitio maxime patet in vita P. Ignatii, qui eam videtur cum spiritu vocationis hausisse, nam se suaque omnia aperiebat. Quin etiam P. Faber solebat per litteras omnia sua aperire P. Ignatio.

XI. Tanti denique fit in Societate nostra hoc, ut etiam illud Nostrorum (5) sit proprium, velle scilicet, ut et defectus, et omnia alia Superiori manifestentur per quemcumque, qui illa extra confessionem noverit. Quin etiam paratus esse debet unusquisque ad alios manifestandos, idemque præstandum; quod confert maxime ad animi submissionem, majoremque in virtutibus profectum.

VI. DE OBEDIENTIA.

I. Virtus obedientiæ nedum propria est nostri Instituti, sed ejus veluti peculiaris (6) nota ac insigne, quo vult P. Ignatius Societatis veram germanamque sobolem ab aliis distingui. Quare et relucere (7) in omnibus quam maxime, etiam in his qui primas tenent et (8) aliis præsunt. Quamquam autem hujus multa nobis sint communia cum reliquis Religionibus, tamen pleraque habemus particularia, et proprie nostra.

(1) Exam. Cap. IV. §. 34. et P. III. Cap. I. §. 12.
(2) P. VI. Cap. I. §. 5.
(3) P. VI. Cap. I. §. 2.
(4) Exam. Cap. IV. §. 36.
(5) Exam. Cap. IV. §. 8.
(6) In Epist. P. Ignat. §. 3.
(7) P. VIII. Cap. I. §. III. C.
(8) P. IV. Cap. X. §. 8.

II. Fundamentum igitur, et veluti radix nostræ obedientiæ est, ut Superior sit nobis (1) loco Dei perfectissime, hoc est ut non solum in quibusdam externis, ut in reverentia et in aliquibus præceptis, extra quæ non habeat potestatem ac directionem, sed vere etiam in interiori homine, ac in omnibus, plenissime, tam internis quam externis, et semper, sit nobis Superior non secus ac Deus ipse : ita ut Superior non solum mihi sit tanquam homo sive prudens, sive bonus, neque vero tanquam sola quædam Dei externa imago, sed tamquam Dei vicarius, in quo Jesum Christum considerem, amem, reverear, eique omnia aperiam, et ab eo omnino pendeam, et dirigar, eique plenissime subjiciar, tamquam (2) soli Deo, et propter Deum obediendo, ita ut vocem a Superiore egressam, ut si a Christo Domino egrederetur, considerem ac perpendam.

III. Ad obedientiam autem Societatis non solum requiritur (3) externa executio, cum res jussa completur; sed etiam consensio voluntatis, cum ille qui obedit id ipsum vult, quod qui jubet; et præterea intellectus, cum id ipsum sentit quod ille, et quod jubetur bene juberi existimat. Ratio autem est. quia Superior mihi est loco Dei, cui debeo in executione et voluntatem et judicium plene subjicere, atque (4) hoc quod ad judicium pertinet est Societatis proprium, et ex vi Instituti præstare tenemur.

IV. Hinc (5) obedire tenemur, ex spiritu vocationis nostræ, cum amore, gaudio spirituali, integre, fortiter, celeriter, prompte, cum humilitate, citra excusationem et obmurmurationem, perseveranter, cæca quadam obedientia; et hoc non solum quando præcipitur aliquid nobis a Superiore in virtute obedientiæ, vel quando absolute præcipitur, sed etiam quando nutus, vel signum voluntatis ejus haberetur, aut gratum fore

(1) P. VI. Cap. I. §. 2.

(2) Exam. Cap. IV. §. 29. et 30.

(3) P. VI Cap. I. §. I. C. et litt. P. Ignat. §. 8. et P. III. Cap. I. §. 23.

(4) Litt. P. Ignatii. §. 9. usque ad 10.

(5) P. III. Cap. I. §. 23. et P. VI. Cap. I. §. 1. et in testam. §. 4. lib. 5. Vit. P. Ignatii Cap. IV. Ribad.

xistimaretur. Ratio horum est, quia talibus conditionibus debemus Deo obedire, quare et Superiori, cui *pari profecto obediendum est cura*, *pari obedientia deferendum*.

V. Atque hæc (1) quæ diximus non solum erga Superiores supremos et mediatos præstare nostri est Instituti, sed etiam erga immediatos quoscumque quamvis infimos, ut coquum et infirmarium, immo vero et externos, ut medicum, quandoquidem nec illis, nec propter illos, sine intelligendo, ulla obedientia præstatur, sed soli Deo, et propter solum Deum Unde discernere personam esset tollere obedientiam. Quare P. Ignatius Parisiis etiam (2) Goveani arbitrio qui rectorem agebat stare voluit, quamquam ita male erga illum affecti, ut qui supplicium ac flagella in illum injuste decreverat.

VI. Scopus (3) hujus virtutis est : 1. regi ac pendere a Dinva Providentia, cum ipsa obedientia, executio quædam sit Divinæ Providentiæ. Unde per Superiores suos ferri se quisque sinere debet, perinde ac si cadaver esset, aut senis baculus. 2. Dispositio proxima et immediata ad viam unitivam, quia (4) executio obedientiæ est practica quædam conformatio voluntatis nostræ cum divina, cujus nobis interpres ac regula est voluntas Superioris. 3. Conservatio (5) amoris, et (6) Societatis per (7) subordinationem erga Superiores immediatos, quod maxime refert ad retinendam obedientiæ puritatem. Atque (8) hinc est quod eum, qui hanc subordinationem per dissensionem subditorum cum suo capite violaret, separari vult S. P. a Societate veluti pestem.

VII. Ad optimam praxim hujus virtutis in Societate, præter uuiversales res et essentialia Instituti, passim fere omnia arbi-

(1) Exam. Cap. IV. §. 29. 30, 31. 32. E. et P. III. Cap. I. §. 17. et Cap. II. G et in Vit. P. Ignat. Lib. 3. Cap. VII. Maff.

(2) Maff. in vit. lib. 1. Cap. XX.

(3) P. VI. Cap. I. §. 1. et P. III. Cap. II. G.

(4) P. III. Cap. I. §. 23.

(5) P. VIII. Cap. I. §. 3.

(6) P. X. §. 8. et 9.

(7) P. II. Cap. I. §. 2. et clarius. P. VIII. Cap. I. §. 4. E.

(8) P. VIII. Cap. 1. §. 5. F.

trio Superioris relinquuntur, ad quem subditi recurrere teneantur; ut patet maxime in regulis communibus; cui proin tanquam animatæ legi omnes in omnibus obediant. Atque hinc est (1) cur Superioribus nostræ Societatis tam ampla concedatur auctoritas, et ad præcipiendum, et ad coërcendum, ad declarandum, et dispensandum. Sic enim (2) quo magis inferiores a suis Superioribus pendent, eo melius amor, obedientia, atque unio inter eos retinetur. Illud etiam (3) confert ad praxim hujus virtutis, ut Superiores aliquando occasionem dent iis qui probantur exercendi obedientiæ virtutem, eosdem tentando ad majorem ipsorum utilitatem spiritualem, eo modo quo Dominus Abraham tentavit, ut specimen suæ virtutis præbeant, et in eadem crescant, servata tamen mensura et proportione juxta cujusque vires.

VIII. Ad praxim submissionis judicii in obedientia, quæ ut maxime necessaria est Societati, ita et difficillima, aliqua observanda sunt et primum omnium triplex potest incidere casus : vel quod præcipitur clarum est esse rem malam, idest per se notum, ita ut nemini dubium esse possit; vel evidens est, esse rem bonam; vel res est dubia.

Quando ergo (4) res est evidenter ita mala, ut nulla ratione possit fieri bona, ut odium Dei, et mendacium, nullo modo est obediendum : quando vero ita mala, ut possit aliqua ratione exuere illam malitiam, etiam tunc regulariter non est obligatio ad obediendum; dicimus, *regulariter*, ut Sanctorum (5) exempla servemus, et non excludamus divinos instinctus, aut sanctam illam simplicitatem, quibus illa aliquando patrata fuerunt.

Quando res est evidenter bona, certum est omnes et posse, et debere captivare suum judicium judicio præcipientis; et praxis est, ut ita omnino exerceatur, cum difficultas nonnisi

(1) P. II. Cap. I. §. 2. et P. IX. Cap. VI. §. 2. et P. X. §. 8.
(2) P. VIII. Cap. I. §. 6.
(3) P. III. Cap. I. litt. V.
(4) P. III. Cap. I. §. 23. et P. VI. Cap. I. §. 1.
(5) Litt. de Obed. §. 18.

ex passione animi, aut defectu judicii tunc oriretur, atque adeo oportet remedium passioni adhibere, ad eum modum quo solent aut scrupulosi, aut illusi curari; de qua re in Exercitiis, in Regulis de scrupulis, et discretione spirituum. Quod si quis curari omnino non possit, aut valde ægre, praxis erit, aut non (1) admittere hujusmodi ad Societatem, aut admissum (2) dimittere, est enim impedimentum.

Quando demum res est dubia, posset aliquis tripliciter se habere : vel ita ut habeat ac retineat judicium contrarium judicio præcipientis, ita tamen, ut hoc non obstet ad rei executionem, et hoc bonum quidem est, sed homini (3) Societatis non sufficit; vel ita ut judicium quidem contrarium illi sese offerat, sed is illud suspendat, ita quod nolit judicare, sed tantum obedire, atque ita rem exequatur, et hoc melius (4) est, quam primum, sed nondum videtur pertingere ad gradum Instituti nostri proprium; vel ita (5) ut judicium suum cum Superioris judicio perfecte conformet, aut cæca quadam obedientia existimando bene juberi, aut etiam rationes inveniendo pro eo ipso quod præcipitur, quod bene præcipiatur, ubi manifestus error non appareret. Ad hoc præstandum praxis erit ista : 1. Consideret difficillimum esse judicare de rebus obedientiæ, quia ad rectum judicium debent omnes circumstantiæ rei esse penitus perspectæ, quod subditis vix contingere potest. 2. (6) Humanum judicium esse obnoxium multis passionibus ac perturbationibus, præsertim in rebus propriis et spiritualibus, unde deberet esse valde defæcatum ac liberum, quod ipsum difficillimum est. 3. Quam sit facile labi in dijudicandis aliorum factis aut rebus, cum multo lumine opus sit et prudentia, præsertim ad ea, quæ ad Superiores pertinent, nempe isti publicum habent judicium, et sententiam ab emi-

(1) P. I. Cap. II. §. 4. et Cap. III. §. 14.
(2) P. II. Cap. II. §. 4.
(3) P. VI. Cap. I. §. 1. et in litt. §. 9. usque ad 14.
(4) P. VI. Cap. I. §. 1. et 5. et in epist. ubi supra.
(5) Epist. P. Ignat. §. 17.
(6) Epist. P. Ignat. §. 9.

nentiori judice de sua probitate et prudentia, præterea Dei (1) concursum in rebus agendis multo majorem, quam privatus quilibet; demum cum res ipsas proxime et immediate tractent habeantque ad manus, longe optime dispicere poterunt id omne quod ad rem facere poterit, etiam minutissima quæque, quæ privatis personis patere minime possunt. 4. Postremo debet judicaturus rem Superiorum quæ dubia est, ut secure ac sine errore judicet, habere evidentiam illorum omnium quæ diximus, idest rei, luminis, affectus purificati, etc., qua etiam posita, semper potest esse recursus ad intentionem bonam, et omne illud quo potest quis excusari, ut docet D. Bernardus, ita ut affectus teneritudo erga Superiores et reverentia non minuatur. 5. Ad hæc omnia juvabit, si minime acquiescat his rationibus, ut (2) stet aliquorum de Societate judicio, qui probitate et doctrina polleant, idque in rebus omnibus, etiam his quæ ad jus divinum pertinere viderentur, cujusmodi esset cum dubitaretur, an teneretur quis egredi e Societate ad subveniendum parentibus. etc. Atque hoc quod dictum est de obedientia judicii, tanti fecit P. Ignatius, ut illam etiam in illis, qui subditi non erant requireret erga Superiorem, ut in (3) collaterali respectu illius cujus erat socius. Ratio hujus videtur esse, quia vult in quocumque Superiore recognosci Deum, et ejus particularem assistentiam, etiam ab eo qui non est illi subditus.

VII. DE PAUPERTATE.

Paupertas Societatis, altera spectat ad omnes et singulos, altera vero communis est alicujus multitudinis, ut Domorum et Collegiorum.

Ad priorem hæc spectant. 1. Ut summa puritas sit in affectu atque omnimoda, immo (4) vero ut ad illam omnes afficiantur

(1) P. VIII. Cap. VIII. §. 2.
(2) Exam. Cap. III. §. 3. D. et Cap. IV. §. 3.
(3) P. VIII. Cap. I. D.
(4) P. III. Cap. I. §. 25.

summopere, non secus ac erga Matrem, ejus (1) effectus aliquando experiendo suis temporibus, et ut (2) semper eorum quæ domi sunt, viliora appetant.

II. Ut nulla habeatur proprietas rerum Societatis, non solum dominii, sed neque ipsiusmet usus, sed solus ac merus usus singularis et privatæ personæ, et hoc summa cum perfectione, quæ in his consistit : ut 1. quamquam egeat quis aliqua re, illam tamen, (3) licet minima sit, nec habeat, nec apud se, (4) nec apud externos, nec utatur, nisi de licentia Superioris, sine qua si uteretur esset usurpatio; 2. in hoc usu etiam duplex est limitatio, altera facta (5) a Superiore, ut in libris, quibus uti quis potest, nullum faciat signum, etc., altera vero quam spiritus Instituti præscribit, ita ut in rebus, quibus utimur, usus ipse sit ut pauperibus accommodatus; 3. restringitur (6) adhuc hic usus magis, ita ut nihil possint mutuo dare, vel accipere, vel dispensare; præterea (7) tenemur esse parati ad mendicandum. Ex quo apparet summa perfectio paupertatis in Societate quoad singulas personas.

III. Ut pro (8) ministeriis Societatis nihil penitus accipiatur, neque per modum stipendii, vel eleemosynæ, quæ ad compensationem hujusmodi ministeriorum dari solent, cum scilicet (9) hoc datur, aut accipitur pro illo.

IV. Quin etiam quoad usum propriæ personæ, membrorum, et actus illius, spectatur insignis quædam paupertatis ratio, quatenus renuntiat omni juri suo, et illud tradit Societati, et fit quodammodo ejus spirituale mancipium. Unde neque medicinam sumere potest (10), neque (11) bibere extra consueta

(1) Ibidem.
(2) Exam. Cap IV. §. 2.
(3) Exam. Cap. IV. §. 4. et Reg. 7. Comm.
(4) Exam. Cap. IV. §. 4.
(5) P. IV. Cap. VI. G. et Reg. Comm. 8.
(6) P. III. Cap. I. §. 8.
(7) Exam. Cap. IV. §. 27.
(8) Exam. Cap. I. §. 3. et P. VI. Cap. II. §. 7. G.
(9) P. VI. Cap. II. G.
(10) P. III. Cap. II. §. 6. et Reg. Comm. 17.
(11) Reg. Comm. 12.

tempora ob valetudinem, neque (1) aperta fenestra dormire, et multa hujusmodi.

V. Demum vult P. Ignatius, idque maxime (2) conferre ait ad paupertatem, ut Superiores aliquando occasionem præbeant, his præsertim qui probantur, exercendi paupertatis virtutem, observata tamen proportione, juxta cujusque vires, consuetudinem, officium, et alias circumstantias.

VI. In his autem etiam Superiores excellere debent eodem modo, præterquam quod cum Superiores sint, ad ipsos specta t dispensare ac distribuere res Societatis, et hoc præstare debent non ut domini, sed simpliciter ut dispensatores et œconomi.

VII. Praxis in his, quæ hactenus diximus est. 1. ut superflua resecentur, conserveturque modus, qui pauperibus sit accommodatus. 2. Ne desint necessaria ad valetudinem, et hoc omnibus, tum novitiis, tum aliis, vel ad decentiam et commoditatem, et hoc non solum in Collegiis, et pro Scholaribus, de quibus P. III. c. II. §. 3. et C. sed etiam pro aliis operariis, ut habetur P. VI. c. II. §. 15. et 16. 3. Probandi etiam erunt, ut supra dictum est, ad virtutis specimen, et majus incrementum.

VIII. Descendendo (3) autem ad particulares personas, cum excellentissimo paupertatis usu, Scholares Societatis, retinere possunt bona sua, et jus ad illa, conscio tamen Superiore, cum causa subest, sine detrimento ullo virtutis ac perfectionis ejus, donec ad statum admittantur. Interim tamen, cum de illis disponere quidquam voluerint, tenentur ex Instituto, et consilium, et consensum Superioris adhibere.

IX. Admissi (4) ad statum, in primis nulla possunt habere bona, neque jus ullum ad illa, neque capaces sunt ullius hæreditatis, neque ipsi, neque vero Domus, aut Collegia ratione ipsorum, ad pacem cum omnibus conservandam. Deinde non possunt (5) ordinarie in Collegiis morari, nec redditibus

(1) P. III. Cap. IV. et Cap. II. C.
(2) P. III. Cap. I. V. et Cap. II. C.
(3) Exam. Cap. IV. §. 2.
(4) P. VI. Cap. II. §. 1.
(5) P. VI. Cap. II. §. 3. et 4.

illorum uti, (et hoc posterius neque ipsi Generali, nedum aliis permittitur, et in Generali est casus depositionis P. IX. c. V. §. 7.) sed ex eleemosynis vivere et in Domibus professis. 3. Quando (1) mitterentur per Summum Pontificem, aut Superiorem, nullum viaticum petere possunt.

X. Professis vero (2) quatuor votorum peculiare est, hujus virtutis perfectionem summe retinere in Societate, et ad hoc voto se obstringunt, de non agendo, vel consentiendo, ut quidquam de ejus rigore nobis proprio remittatur.

XI. Quod ad (3) Domicilia spectat, possunt Collegia sine ullo paupertatis detrimento, et Domus probationis item, redditus ad sustentationem Scholasticorum et Novitiorum habere; tum quia (4) iis apud quos morantur molesti esse possent, dum ad sustentationem suorum, quos nutriunt, qui non sunt utiles illis, eleemosynas acciperent; tum etiam ut (5) stabilius sit opus Collegiorum; tum demum propter finem quem habent studiorum consequendum.

XII. Quoad Domos professas, quoniam totius corporis Societatis præcipua pars est Domus professa, ut totius Societatis finis, et eminentissima perfectio in omnibus, ita quoque professæ Domus est proprium eminentissimum paupertatis genus profiteri. Quare hæc professæ Domus sunt propria. 1. Non (6) habere jus ad redditus ullos, neque legata vel eleemosynas perpetuas, sed illas (7) mendicare, ac petere simpliciter ob Dei amorem. 2. Ad has (8) autem nullo modo possunt suadere externos, sed tantum necessitates explicare, definitionem eorum devotioni relinquendo, ut per orationem, et alia media id faciant. 3. Possent (9) tamen eleemosynas aliquas vel redditus ad fabri-

(1) Ibid. §. 13.
(2) P. VI. Cap. II. §. 1. A. et formula votor. simp. §. 1.
(3) Exam. Cap. I. §. 4. et Bulla Pauli et Julii. III. et in Const. Gregorii.
(4) Vit. P. Ignatii Ribad. Lib. 3. Cap. XXI.
(5) Ibid. Lib. V. Cap. II.
(6) P. VI. Cap. I. §. 6. et Bulla 1. Julii.
(7) P. VI. Cap. II. §. 10.
(8) Cong. II. Can. 22.
(9) P. VI. Cap. II. B.

eas Ecclesiæ, vel Domorum et similium rerum accipere, dummodo tamen nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit unde competat ei actio in illos, quamvis leganti curæ esset, ut is cui tale munus commissum est suum officium faceret. 4. Non (1) potest habere domus professa arcam in Ecclesia. 5. Neque (2) munuscula dare ad obtinenda majora bona. 6. Neque (3) jumentum ordinarie potest esse in Domibus ad equitandum. 7. His tamen non obstat, quin possit professa Domus (4) habere jus ad loca necessaria aut convenientia habitationi, etiam recreationis causa, cujusmodi esset villa aliqua, modo tamen ex hac re nec fructus, qui reddituum loco esse possent, habeat. 8. Ad bona item (5) mobilia, et immobilia, ut vendantur ac fiant mobilia, jus habere potest. Quod si (6) valor mobilium non esset Domui necessarius, et trecentorum ducatorum summam excederet, monendus esset Generalis, ut (7) in pauperes nostræ Societatis, vel externos distribuat.

XIII. Scopus horum omnium in hac virtute hic esse potest : 1. Spiritualis (8) utilitas, ac major profectus in virtute. 2 Conservatio (9) Societatis, præsertim ab impugnationibus ac insidiis dæmonum, contra quas paupertas murus est ac propugnaculum firmissimum. 3. (10) Humilitas ac proximorum spiritualis ædificatio. 4, (11) Quoad omnes Nostros, ut omni spe abjecta, quam in pecuniis et aliis rebus creatis possunt constituere, integre, vera cum fide, et ardenti amore, eam in suo Creatore et Domino constituant. 5. Spiritualis consolatio (12) et interna

(1) Cong. II. Dec. 78.
(2) P. VI. Cap. II. §. 9.
(3) Ibid. §. 14.
(4) Ibid. §. 5.
(5) Ibid. §. 5. E.
(6) Reg. Prov. 76.
(7) P. VI. Cap. II. E.
(8) P. III. Cap. I. V.
(9) P. VI. Cap. II. §. 1.
(10) P. VI. Cap. II. §. 12.
(11) Exam. Cap. IV. §. 12.
(12) Bulla. 1. Jul. et P. VI. Cap II. §. 2.

jucunditas. 6. Imitatio (1) Christi quam simillima. 7. Quoad ministeria (2) peculiariter, sinceritas nostri modi procedendi, qui est ut *gratis demus* quod *gratis accepimus*. Unde (3) major existet libertas nostris, et proximorum ædificatio in illis exercendis; puritas (4) quoque in divino obsequio, dum illa ob ipsius tantum obsequium et amorem exercemus; major quoque (5) confidentia, ac spes erga Dei providentiam, et (6) ut hinc etiam Nostri suas spes, et erigant et collocent in æternorum expectatione, dum nullum petunt, nec expectant præmium in hac labili vita; demum (7) omnem procul admodum avaritiæ speciem ablegasse. 8, Præter dicta, paupertatis, quæ peculiaris est Domui professæ, suus est scopus : *a.* ut humilitas magis conservetur. *b.* Ut (8) spes in Deum major, ac firmior sit. *c.* Ut magis excitentur qui in illa vivunt operarii ad promovenda opera et ministeria Societatis erga proximos; possent enim revocari ab his, si commodiores essent, et e converso nullam habent aliam viam, qua sibi populorum amorem et liberalitatem concilient, ut testatum reliquit P. Ignatius. (9) *d.* Ut et sic magis alliciantur proximi, et liberius, ac frequentius ad Nostros accedant ad illorum operam quærendam pro sua ipsorum salute, tanquam ab his, quos magis diligere conentur et quibus benefecerint. *e.* Postremo, ut dictum est, ut eminentissimum paupertatis genus ea, quæ præcipua pars est Societatis, retineat.

XIV. Quæ vero dubia nasci poterant circa paupertatis nostræ sinceritatem, et perfectionem, sive illa ad personas privatas Professorum, sive ad Domos ipsas professas, sive demum ad Collegia spectent, ea et vidit, et solvit P. N. Ignatius in Con-

(1) Ibid. et in Exerc. de Regno Christi Punct. 3.
(2) P. IV. Cap. VII. §. 3.
(3) P. VI. Cap. II. §. 6.
(4) Exam. Cap. I. §. 3.
(5) Exam. Cap. IV. §. 27.
(6) Ibidem proxime.
(7) P. X. §. 5. et P. VI. Cap. II. §. 8.
(8) Bul I. Iul.
(9) Vita ejus Ribad. lib. V. Cap. X.

stitutionibus, positis aliquibus casibus, ex quibus possit Societas de Similibus judicium facere.

Hujusmodi sunt : 1. De (1) supplendo sumptu vestium et viaticis a Collegiis his, qui in Domibus professis vivunt. 2. De (2) alendis his in Collegiis, quorum opera illis necessaria, vel conveniens fuerit, sive Professi sint ejusmodi, sive Coadjutores formati. 3. De illis (3) item, qui scribendi gratia de licentia Generalis in Collegiis per aliquod tempus morarentur. 4. De (4) sumenda recreatione in hortis Collegii ab his, qui in Domibus sunt, sive infirmi, sive sani. 5. De (5) infirmis, et senio confectis Professis habitantibus in Collegiis. 6. De (6) redditibus applicatis fabricæ. 7. De (7) habendo equo in Domibus. 8. De (8) augenda dotatione Collegii. 9. De (9) lectione item theologiæ. 10. Cum (10) eleemosynæ largiuntur ab his qui per ministeria nostra juvantur, et est casus notandus. Hos omnes casus solvit P. Ignatius locis citatis, tum spectato fine Societatis, et eo quod est per se virtutis solidæ, non eo quod est per accidens et extrinsecum, et quantitate rei, quæ minima sit; tum si nulla utilitas nascatur Domui professæ; tum si Dei confidentiam non minuat; tum demum quia paupertas Societatis minime scrupulosa esse debet, et nostrum Institutum fundatum est in (11) amore et studio perfectionis, cum spiritu perfectæ libertatis. Ex quibus tanquam ex mensuris, et exemplis, tum Congregationes generales, tum particulares Superiores, in similibus eruere debebunt modum declarandi, et dispensandi etc.

(1) P. VI. Cap. II. D.
(2) Ibid. litt. C.
(3) Ibid. C.
(4) Ibid. D.
(5) Bulla I. Iul.
(6) P. VI. Cap. II. B.
(7) Ibid. K.
(8) P. IV. Cap. II. G.
(9) Ibid. Cap. VII. E.
(10) P. VI. Cap. II. G.
(11) P. VI. Cap. V.

VIII. DE CASTITATE.

I. Quamquam hanc virtutem Castitatis communem habemus cum aliis, est tamen aliquid proprium circa illam in nostro Instituto. Et primo, ut excellentissima sit et perfectissima, adeo ut etiam in mediis periculis, quæ nostris ministeriis frequentissime sunt annexa, non labatur, neque inficiatur, neque in minimis, immo potius crescat. Quare alienum a spiritu Societatis esset, removere se aliquem a ministeriis erga proximos, ut confessiones audiendi, tractandi, etc., propter periculum castitatis. Immo vero debet magis confidere in spiritu hujus vocationis, cujus esse videtur valde proprium hoc donum castitatis, ut patet in P. Ignatio, qui cum alioquin vir fuerit illecebris sensus irretitus, post vocationem videtur fuisse omnino ab his liberatus; quod etiam communiter videmus accidere his, qui a sæculi vanitatibus ad nostrum Institutum confugiunt. Propterea etiam, quod miraculi loco ponitur in vita (1) P. Ignatii, in tanto juventutis flore perfectissime vigebat. Docet hoc etiam quotidiana experientia, quia sine multis externarum austeritatum adminiculis ad castitatem, immo vero inter tot pericula et occasiones, illibata tamen et integra magna cum facilitate, nisi quis gratiæ vocationis desit, conservatur.

II. Quo vero gradu perfectionis esse debeat in Societate Castitas, verbis gravissimis expressit P. Ignatius, cum nostram (2) angelicam imitari voluerit, corporis et mentis munditie; tum propter nostram perfectionem spiritus, quæ cum summa esse debeat, adversam habet omnem animi labem et impuritatem; tum quia nostra ministeria, quæ suapte natura lubrica sunt, neque sine nostro, neque sine proximorum gravi damno exerceri possent, neque vero illi se nobis crederent, nisi nos homines experirentur hujus virtutis amantissimos. Et hi sunt inter præcipuos fines nostræ castitatis, præter illam dispositionem, quam præstat castitas maximam, ad gustanda spiritualia, et ad intimam cum Deo unionem.

(1) Ribad. Lib. V. Cap. XIII.
(2) P. VI. Cap. I. §. 1

III. Hinc est quod tanti facit Societas labem in hac virtute, ut nedum in aliis, sed etiam in (1) Generali ipso compertam minime toleret, sed est casus depositionis et dimissionis. Quin etiam illud experientia compertum est, quod qui nutant in hac virtute, spiritus Societatis se reddant incapaces, et paulatim a vocatione deficiant.

IV. Neque vero temeraria est, aut incauta Societas pro hujus virtutis conservatione, nam multas adhibet cautelas, tum ad Nostros, tum ad alios spectantes. Cujusmodi sunt: 1. Diligentissima (2) sensuum custodia, tam internorum, quam externorum; et huc etiam spectant pleræque regulæ modestiæ. 2. Otii (3) fuga. 3. Cautio (4) in cubilibus separatis, et ut intermisceantur antiquiores junioribus in eodem cubiculo. 4. Item (5) non ingredi aliorum cubicula, et tamdiu ostium esse apertum, quamdiu colloquuntur. 5. Item (5) non obserandum ostium intrinsecus, ita ut aperiri extrinsecus minime possit. 6. Neque (7) mitti, neque aliunde missas accipi litteras sine approbatione Superioris. 7. Non tangere (8) se Nostros neque per jocum. 8. Non (9) legere libros profanos, immo nec domi haberi, nedum lascivos, cujusmodi sunt Terentii, Catulli, Tibulli; etc., nisi de licentia Provincialis; quare neque (10) in Scholis nostris prælegi tales libros discipulis externis. 9. Nudum dormire (11) etiam Nostris prohibitum est. 10. Mulieres (12) non ingredi domos nostras aut Collegia. 11. Non mittendos (13) solos, nisi personas quibus confidi possit.

(1) P. IX. Cap. IV. §. 7.
(2) P. III. Cap. I. §. 4. et 5.
(3) P. III. Cap. I. §. 6.
(4) P. III. Cap. I. D.
(5) Reg. 2. comm.
(6) Reg. 33. comm.
(7) Exam. Cap. IV. §. 6. et P. III. Cap. I. B.
(8) Reg. comm.
(9) P. III. Cap. I. M.
(10) P. IV. Cap. V. E. et Cap. XIV. §. 2.
(11) P. II. Cap. II. E.
(12) P. III. Cap. I. §. 14.
(13) P. III. Cap. I. §. 3. C.

12. Hinc (1) etiam socius Confessariis, cum ad mulierum confessiones audiendas, vel alia de causa ad illas accedunt, datur. 13. Immo vero (2) mutuus aspectus vitandus in confessionibus, severitasque potius exercenda cum mulieribus præcipitur, quam familiaritas. Gravitas item et brevitas in collocutionibus cum illis, atque oculis demissis. 14. Quin etiam (3) cautum est in regulis Provincialis, ut ad confessiones fœminarum viros maturioris ætatis, quantum fieri potest, deputet. 15. Huc etiam (4) spectat non suscipere curam mulierum religiosarum vel aliarum quarumcumque. 16. Immo (5) neque visitandas mulieres sine causa, et similia multa, quæ etiam ad praxim juvare possunt.

V. Hinc patet quantum adhibendum sit studium in praxi hujus virtutis, tum singulis, tum Superioribus præsertim, tum quoad mutuam conversationem inter Nostros, tum cum externis, maxime cum juvenibus, ac mulieribus, præveniendo pericula, antequam malum nascatur, et efficacia remedia prudenter adhibendo ad natum tollendum.

IX. DE TEMPERANTIA.

Temperantia Societatis excellentissima est, quia excellentissime et quærit et invenit medium ipsius in praxi, et quia totum illud, quod est per se hujus virtutis, comprehendit ac moderatur perfectissime, sive externum illud sit, sive internum.

I. Igitur quod ad medium attinet, in objecto non quærit illud Societas per magnam aut externam austeritatem in cibo et potu, quasi putemus temperantiam consistere in extrema abnegatione, et mortificatione externorum, et gustus, et excessu quodam in parsimonia, citra vitæ exstinctionem, cum detrimento etiam et diminutione virium, neque per multorum

(1) Reg. 12. Sacerd.
(2) Reg. Sacerd. 15. 16. 17.
(3) Reg. 100. Prov. Cap. 12.
(4) P. VI. Cap. III. §. 5.
(5) Reg. Præp.

actuum frequentiam, quæ fere totam vitam requirat; sed quærit medium per regulas excellentissimas, efficacissimas æque atque gravissimas, quæ habentur in Exercitiis (1) *de temperando victu*, quæ videndæ et expendendæ erunt.

II. Quoad affectum animi componendum, qui radix et caput est totius virtutis, et quasi fons actionum studiosarum, proprium est Nostrorum, ut hoc exellentissime faciant. Nam præterquam quod supponitur animus jam mortificatus, ut supra in materia de mortificatione, curare illud debent, ne super sumendos cibos quodammodo totus effundatur, sed semper appetitui dominetur. Item ut abstrahatur mens, et occupetur pia aliqua consideratione, aut meditatione, ut habetur. 6. Regula, *de temperando victu* vel certe lectione mensæ, ut sic abstracta mente cibus ipse et vescendi delectatio parum sentiatur, vel demum Christi imitatione, quæ cum nobis ob oculos versabitur, affectus valde componitur, quod ex 5. Regula ibidem colligitur.

III. Quoad actionem vero ipsam, et externam compositionem, norma præscribitur Nostris exactissima illis verbis, ut (2) modestia et decentia interius, et exterius in omnibus observetur.

IV. Nostræ porro temperantiæ fines sunt : 1. Sustentatio naturæ ac virium ad labores perferendos nostrorum ministeriorum, quæ majus Dei obsequium spectant. 2. Ut non impediantur majora bona, ad quæ vires non debilitatæ, sed firmæ requiruntur : quod minime esset, si nimia austeritate uteremur, qua vires enervantur et consumuntur. 3. Ut non obruatur spiritus, qui immoderatis inediis et abstinentiis veluti languesceret, et deficeret, ad alia, quæ sunt nostri Instituti. Ex quibus videtur hoc esse donum spiritui Societatis tributum, ut sine externis austeritatibus, et in mediis occasionibus et communi vivendi modo, temperantiam retineamus, cum necesse sit et vires conservare et virtutem minime deserere. 4. Ut in

(1) In Exerc. præcipue I. 2. 3. et 8.
(2) P. III. Cap. I. §. 3.

his omnibus habeatur ratio humilitatis, paupertatis, et spiritualis ædificationis.

V. Ex his omnibus patet, cur in Societate non solum necessaria, sed etiam convenientia ad victum quærantur; deinde, cur neque delicatis utamur cibis, neque grossioribus, cum illis foveatur sensus, istis vires debilitentur; hinc officium Præfecti sanitatis in Societate et regulæ ipsius; postremo non habet omnino præfixam quantitatem aut qualitatem ciborum Societas, sed majorem aut minorem, hanc vel illam, habita ratione regionum, personarum, et similium circumstantiarum. Ad hæc autem omnia judicium medici illius loci, in quo vivitur, Societas adhibet, non cujusque proprium; qui tamen medicus habeat rationem humilitatis, etc., ut in VI. P. c. II. §. 10.

VI. Huc spectabant etiam quæ supra de mortificatione diximus, mutata tamen ratione, nam ad mortificationem spectat, ratione excessus moderandi, ad temperantiam, ratione virtutis ac medii, etc.

X. DE HUMILITATE.

Humilitas, quam Societas profitetur, duplex est, externa, et interna, et ad utriusque perfectionem quoad potest maximam nititur.

I. Internæ vero radix, et quasi essentialis conceptus positus est in æstimatione sui minima et vilissima, quæ esse possit; ita ut per comparationem sui, sive in his quæ pertinent ad naturam, sive in iis quæ ad gratiam, vel cum aliis creaturis, vel cum ipso Deo, vel demum cum vilissimis quibusque rebus ut ulcere, apostemate, et similibus, colligat vilissimum sui conceptum, et infimam æstimationem, ut in (1) Exerc. 2. P. Ignat. de peccato. — 2. Ex quo sequitur valde proprium esse hominum Societatis, ut ipsi nemini se præferant, (2) sed potius, ut omnes sibi Superiores existiment, atque aliis potiores partes

(1) In Exerc.
(2) P. III. Cap. I. §. 4.

deferant. — 3. Ut non solum (1) honores contemnant, ad quod etiam voto se (2) adstringunt Professi, et ambitionem tam severe detestentur, gravissimis pœnis (3) positis; sed etiam contumelias, falsa testimonia et injurias pati, et stulti haberi, et æstimari in Domino exoptent, nedum ab externis, sed etiam a domesticis, quod exemplo nos docuit (4) P. Ignatius non semel. 4. Humilitas autem Societatis non est per fugam occasionum, immo vero cum dotibus et talentis maximis, cum speciosis muniis et ad elationem gignendam aptissimis, ut docendi, concionandi, versandi cum principibus viris, missionibus sedis Apostolicæ, et similibus. — 5. Immo vero (5) super eam fundata esse volunt Constitutiones nostræ talenta ipsa et omnia, quin etiam illa ab hac vires ac robur accipere, utpote sine qua minime juvent. Quare altissima esse debet et profundissima, quæ nedum lædatur illis, sed inter illa crescat, et vigeat magis, sicut lilium inter spinas. — 6. Et eo etiam progrediatur, ut non (6) dedignetur vilissima quæque, neque detrectet domestica exercitia humilia, et subjici disciplinæ, tam internæ, quam externæ, magna animi submissione, etiam erga infimos officiales aut ministros, et cum proximis etiam, ut homines rudiores, viliores, ac pueros ipsos docere, ac tractare non refugiat. — 7. Humilitas Societatis non est abjecta et vilis, sed magnanima et generosa, nam cum maxime nitatur divinæ gratiæ, suis diffisa viribus, speciosa quæque ac magna aggreditur et appetit, citra elationis periculum, quia heroica cum sit, radicata, atque fortissima, inter alta et infima (7) æqualitatem animi adeo conservat, ut neque illis extollatur, nec deprimatur istis; quin et nostra humilitas in vilibus excelsa est, tractat enim illa magno animo et excelso, tum quia ob Dei majorem gloriam,

(1) Exam. Cap. IV. §. 44. et 45.
(2) P. X. §. 6.
(3) P. VIII. Cap. VI. A. et §. 2.
(4) Lib. 1. Cap. XIII. et lib. 5. Cap. III. Vit. P. Ignat. Ribad.
(5) P. IV. in procem. et P. III. Cap. I. §. 27. et P. X. §. 2. et 5.
(6) Exam. Cap. IV. §. 28. et P. III. Cap. I. §. 22.
(7) P. V. Cap. III. B.

tamquam proprium et ultimum finem, tum quia ex (1) puro Dei amore, tum quia radicem meriti præcipue spectat, quæ est charitas major, non objecti pretiositas et præstantia. Præterea quod non in altis extollatur, sed potius depressa sit, nec ab illis vincatur, ratio est, quia illis non capitur affectus, neque curat, aut æstimat, nisi quantum oportet ad finem sibi propositum. Nam ex altitudine occupationum et munium non metitur Societas altitudinem virtutis, quia hoc tantum materiale est, sed ut dictum est, ex charitate et fine. Quare semper ad alta tendit nostra humilitas, et animo semper quieta esse debet. Et hæc de interna.

II. Quoad externam autem, non habet Societas quædam signa exteriora ad humilitatem ostendendam, ut in victu, et vestitu. Immo vero hæc de industria relinquit, suæque virtutis gratiam occultat, ne ex his, quæ foris patent, laudi et gloriæ hominum aditum ullum præbeat, et quæ studeat soli placere Deo ac Domino nostro, non hominum opinioni et sensui servire. Hinc ratio vivendi Nostris communis est, communis item ratio vestitus, et quæ honestis Clericis regionis, in qua vivimus, convenit, ita tamen ut, inter sordes et pompam, veræ humilitatis et paupertatis medium teneat religiosum. 2. Habet interim actus nonnullos et signa, quibus internam humilitatem exerceat et testetur, quia non otiosam profitetur humilitatem; hujusmodi actus sunt : (2) patefieri ac manifestari Superiori omnes errores et defectus ipsius et res quascumque, quæ notatæ in eo et observatæ fuerint, et per quemvis; item non solum privatе, sed etiam publice, (3) servire coquo, et cætera humilia et abjecta munia prompte obire, (4) honore invicem se prævenire exterius, et reverentiam exhibere, quam exigit cujusque status, (5) pueros docere et rudes, sive Grammaticam, sive Doctrinam Christianam, et hoc non solum exigit ab aliis, sed etiam

(1) Exam. Cap. I. §. 9.
(2) Exam. Cap. IV. §. 8.
(3) Exam. Cap. IV. §. 28.
(4) P. III. Cap. I. §. 4.
(5) P. V. Cap. III. B.

a Professis quatuor votorum, et primoribus viris in Societate; et id generis reliqua. 3. Proprium est Nostrorum, non aulicam humilitatem et politicam, idest externam tantum et ad speciem compositam profiteri, sed eam quæ ex intimo virtutis affectu sit, cum simplicitate et moderatione religiosa, et sine ulla affectatione, et magna cum devotione (1), et hanc in omnibus, etiam in verbis, ita ut proprium sit Nostrorum omne superbiæ signum, etiam in minimis quibusque vitare et (2) abhorrere. Immo vero humilitas est scopus et mensura compositionis externæ et omnium fere regularum (3) modestiæ. 4. Hanc vero humilitatis virtutem non solum in his, qui in probatione versantur, aut Novitiis, sed in omnibus Nostris vult relucere P. Ignatius, in Coadjutoribus (4) spiritualibus, nedum temporalibus, in (5) Rectoribus, demum in antiquioribus, etiam ipso (6) Generali. Unde et toti Societati voluit inde (7) nomen *minimæ*.

III. Fines hujus virtutis inter cæteros sunt : 1. Ut sint Nostri (8) Deo magis amabiles, et ab illo divinos influxus uberius percipiamus. 2. Ut etiam (9) hominibus magis amabiles simus, (conciliat enim amorem humilitas), atque ita majori cum ædificatione inter proximos versemur. 3. Ut ex majori nominis ac virtutis existimatione, quam suapte natura comparat humilitas, proximis magis prodesse possimus, ut P. Xaverius dicere solebat; atque ita P. Ignatius (10) præscripsit Patri Lainez ad Concilium Tridentinum, et Patri Xaverio et Simoni Rodriguez in Lusitaniam proficiscentibus, aliqua humilitatis exercitia præmittere, tum ad nomen comparandum et ad ster-

(1) P. III. Cap. I §. 22.
(2) Ibid. §. 4.
(3) P. III. Cap. I. §. 4. et Reg. 1. Modest.
(4) Exam. Cap. VI. §. 3. 5. 6. et P. III. Cap. I. §. 19.
(5) P. IV. Cap. X. §. 4.
(6) P. IX. Cap. II. §. 2.
(7) Exam. Cap. I. §. 1.
(8) P. IX. Cap. II. §. 2.
(9) Ibidem.
(10) Lib. V. Cap. III. Vit. P. Ignat. Ribad.

nendam viam ad fructum, tum ad ipsorum operum præclariorum fundamenta ponenda.

IV. Praxis autem hujus virtutis in Societate facilior est, quam quæ pluribus verbis explicanda sit.

XI. DE MODESTIA.

Virtus modestiæ Societati videtur valde propria, suasque notas habet, estque exterioris hominis compositio, ex interna moderatione profecta, ad Christi imitationem, quoad fieri potest, religiosa quadam urbanitate, accommodata hominibus, quibuscum agit, pro regionum varietate. Quare cum tam interna, quam externa esse debeat, in utraque exactionem requirit.

I. Internam humilitas componit, ut supra dictum est.

II. Ad externam regulas præscripsit (1) P. Ignatius multo studio oratione ac lacrymis, ut quanti referat vel ex hoc cognoscamus, quæ sunt veluti principia quædam adeo universalia et moderata, ut omnibus nationibus, licet diversissimis, convenire possint. Continet autem religiosæ urbanitatis exquisitissimam rationem modestia nostra, ita tamen, ut superfluas aulicas cæremonias detestetur, et summam retineat simplicitatem maximeque se accommodet moribus aliorum, quantum ædificationis ratio, et amabilitatis conciliatio postulant. Hinc est, quod nullam habet formam ita præscriptam, ut ab illa discedere minime queat, cum opus est ad finem sibi propositum.

III. Est autem ita perspicua in hominibus Societatis modestia ex universalibus quibusdam notis, sive in vultu, sive in incessu et omnibus motibus externis, ut citra vestium et similium discrimen, in media turba, etiam ab ipsis hæreticis dignosci soleant Nostri, et ab aliis religiosis secerni propter modestiam jam dictam.

IV. Fines sunt : 1. Pax et quies, tam interior, quam exterior. 2. Proximorum ædificatio.

V. Praxis patere facile potest.

(1) Lib. V. Cap. I. Ribad.

XII. DE LINGUÆ MODERATIONE.

I. In Societate tria sunt tempora. 1. Silentii. 2. Recreationis. 3. Extra hæc duo; et in his omnibus oportet linguam moderari.

Quoad *primum*, præscribitur modus silentii regulis communibus, in quibus nec prohibetur omnino loqui, ut Monachis, neque omnis sermocinatio etiam studiosa admittitur, sed solum in necessariis, obiter, et perpaucis.

II. Scopus autem hujus silentii videtur esse : 1. Decorum, nam ubi multitudo est, in locis præsertim religiosis, esset valde indecens, si cuique liceret, etiam virtuose loqui. 2. Quies ad functiones nostras melius sine strepitu exequendas, ut studium, oratio et similia. 3. Ædificatio externorum, quo etiam spectat regula de submisse loquendo. 4. Observantia disciplinæ religiosæ, quæ hoc ipsum suapte natura requirit, et perfectionis propriæ consecutio; nam in multiloquio peccatum non potest deesse, neque potest quis religiosum se esse putare, nisi refrænet linguam suam, ut ait S. Jacobus.

III. Quare autem hoc silentium non sit monachale, sed quale nos habemus; prima ratio est, quia virtus ipsa hoc requirit, ut cum loqui opus non est, silentium servetur, non eo modo, ut nihil loquamur penitus, sed ut ea loquamur, quæ sunt convenientia; convenit autem abstinere certis temporibus ob dictos fines ab omni verbo, licet virtuoso; at nunquam prohiberi debent necessaria et pauca verba, ne scrupuli injiciantur, a quibus liberos necesse est homines nostri Instituti esse. Secunda; quia Societas exercitium virtutum committit prudentiæ singularium : ideo in his non determinat quæ necessaria sunt, sed eorum judicio ac prudentiæ relinquit. Tertia; quia Monachi habent pro fine summo et scopo, contemplationem cum solitudine et fuga omnis commercii : ideo illis expedit interdicere penitus usum loquendi. At noster finis est longe diversus, scilicet procuratio salutis proximorum, ad quam consuetudinis, et usus loquendi exercitium, sed virtuosum, est valde necessa-

rium. Ideo cessat illa silentii ratio, et succedit alia, non interdicendi omnino locutionem, sed modo jam dicto.

IV. Quoad *secundum* tempus, est peculiarissimum Societati, præscribere duas horas, a prandio unam, et a cœna alteram, quibus debeant invicem sermocinari. Hujus 1. scopus est conservatio charitatis, quæ dissolvitur inaffabilitate, et affabilitate fovetur; nam cum toto die plurimum sint occupati, atque ab invicem distracti, nisi aliquando convenirent, solitarii et veluti agrestes fierent contra spiritum Instituti. 2. Procuratio (1) sanitatis et conservatio. 3. Atque hinc optime constitutum est tempus a cibo, cum ad seria negotia tempus illud ineptissimum sit, nec sine valetudinis periculo seriis vacari possit. Deinde quia cum post cibum soleat maxime relaxari lingua immoderate, assuescant tunc Nostri sancte, et ex virtute animum relaxare, et habitum contrahant bonum eo tempore, quo majus est periculum excessus, et quo magis etiam meritorium est frenare linguam, et maxime juvat, ut assuescant recte loqui cum proximis similibus temporibus et sine offendiculo. 4. Ut demum consuescant virtutibus linguæ, affabilitati, eutrapeliæ, hilari consuetudini, et religiosæ urbanitati cum proximis.

V. Esse autem debet consuetudo Nostrorum in recreatione studiosissima. 1. (2) Quoad modum ne fiant conventicula, sed in eodem loco, quoad ejus fieri potest. 2. Ut loquamur de rebus sanctis, vel certe indifferentibus. 3. Cum modestia, idest, ne vox nimium attollatur, cachinni vitentur, contentiones, irrisiones. 4. Nullam haberi rationem, nec naturæ propter antipathiam nec professionis, ut coadjutoris, etc., sed cum religiosa simplicitate.

VI. Quoad *tertium*, toto reliquo tempore, quo relinquitur locus virtuti secundum se, ac soli. 1. Debet ab omni inordinatione se quisque custodire. 2. In (3) pace et humilitate interna se conservare, quam nimia et inordinata locutio præpedit.

(1) P. III. Cap. II. D.
(2) In Reg. Rect.
(3) P. III. Cap. I. §. 4.

3. Adeo circumspecte loqui pro rei (1) qualitate, ut in eo nec verbum notari possit. 4. (2) Ædificatio Nostrorum et aliorum, quæ maxime pendet ex verbis.

VII. Atque cum silentii tempore loquendum erit, praxis est, ut obiter fiat, propter religiosam urbanitatem, ac perpaucis; præter hoc omnino taceatur.

XIII. DE FORTITUDINE.

I. Proprium Societatis est, habere hanc virtutem, ut dicitur in Bulla 1. (3) Pauli III ad superandas Instituti difficultates et magnas et arduas, et has primo ab unoquoque quoad se, ob tot experimenta, indifferentiam, etc; deinde quoad proximos, ob ministeria difficillima et periculosa; præterea præcipue quoad missiones inter infideles et hæreticos, qui fuit primus scopus et vocatio nostrorum Patrum, ut ire in Hierusalem cum aperto discrimine, etc. Quin etiam ad hoc, voto se obstringit professa Societas.

II. Actus autem hujus fortitudinis describuntur a (4) P. Ignatio in Generali, qui ad omnes traduci possunt pro cujusque gradu et numere. 1. Magnanimiter ferre infirmitatem aliorum. 2. Res magnas in divino servitio aggredi, et strenue ad finem et perfectionem (5) perducere. 3. In eis constanter, quando id convenit, perseverare. 4. Non propter contradictiones, licet a magnis et potentibus excitatas, animum despondere. 5. Ab eo, quod ratio et divinum obsequium postulat, nullis precibus aut minis separari se sinere. 6. Omnibus demum casibus, qui incidere possunt, esse superiorem. 7. Nec prosperis efferri nec adversis dejici animo se permittere. 8. Paratissimum esse ad mortem in obsequium Christi subeundam, et pro totius mundi bono.

(1) P. IX. Cap. II. §. 3.
(2) P. IX. Ibid.
(3) Bulla I. Pauli III.
(4) P. IX. Cap. II. §. 5.
(5) Ibid. §. 7.

III. Fines sunt. 1. Proximorum majus auxilium. 2. (1) Facilitas perducendi ad finem omnia nostra ministeria.

IV. Praxis autem est, inniti maxime divinæ spei et auxilio; deinde ut, ubi divina Gloria id postulat, nonnisi cum prudentia et humilitate, et pericula contemnat omnia, et res aggrediatur, atque perficiat.

XIV. DE EXACTA OBSERVANTIA REGULARUM.

I. Proprium est nostri Instituti, ut ex vi ipsius homines Societatis animum ac mentem induant, omnes constitutiones et observantias exactissime observandi, ac religiosissime se habeant in transgressione Regularum, etiam minimarum, quamquam obligationem ad peccatum non contineant, nec ad (2) illud obligent.

II. Cum Institutum nostrum positum sit 1. in constitutionibus scriptis aut traditis : 2 in interna amoris lege : 3. in unione maxima et eminenti cum Deo, qua Deus operatur in illo conservando, gubernando et promovendo in suo sancto servitio; duplex est observatio exacta Regularum. *Prima* observatio exacta Regularum est quasi ad litteram (quantum convenit tamen) inspiciendo id, quod faciendum præcipitur, et perfectissime exequendo; et hæc prima est propria Novitiorum, ac similium, ut hinc assuescant perfectæ subjectioni, maxime judicii, et quia non habent tantum luminis et experientiæ, instrui debebunt ad secundum. *Secunda* enim observatio exacta perfectorum est, et eorum qui ad statum admissi sunt, quæ mensuram accipit ex fine cum prudenti (3) charitate; et ad hanc pertinet ratio epikeiæ, quæ debet esse in particulari similis dispensationi in Superiori. 1. Enim debet expendere rerum particularium eventus et necessitates et reliquas circumstantias. 2. Mentem eorum qui condiderunt constitutiones, ac regulas. 3. Finem Societatis ad majus Dei obsequium et commune bo-

(3) P. IX. Cap. II. §. 7.
(1) P. VI. Cap. V.
(2) P. VI. Cap. V. §. 1.

num. 4. Hinc prudentia excitari debet, et simul cum ea lux æterna docebit (1) quid agendum sit.

III. Ut autem hæc *secunda* observatio ex prima oritur, ita ex hac secunda oritur *tertia*, nimirum unionis cum Deo, in qua summa Sapientia, et Bonitas agit hominem, ita ut ipse sibi sit lex, vel Deus in eo, qui est summa regula omnis bonæ voluntatis et (2) judicii. Unde ipse erit veluti animata lex legem habens scriptam in corde.

IV. Adminicula ad hanc observationem duo sunt præcipua : externum unum, et est gubernatio pœnitentiæ, cum vi coercitiva usque ad exclusionem, quæ tamen est moderatissima, ut suo loco dicetur ; alterum internum, et est charitas, desiderium divini beneplaciti, et conformitas summa cum Deo, tanta scilicet, ut velit etiam exactissime (3) observare ea, a quibus posset sine ullo peccato abstinere.

V. Fines sunt : 1. Conservatio Societatis (4), et promotio etiam singulorum. 2. Profectus (5) virtutum, et ædificatio tum propria, tum aliorum.

VI. Praxis autem ad primam præsertim est : 1. consuetudo illa, qua (6) præcipitur petere aliquoties singulis annis pœnitentias ob defectum illius. 2. Exhortationes frequentes huc tendunt. Lectio (7) Regularum menstrua. 4. (8) Visitationes, in quibus præsertim leguntur regulæ et similia.

XV. DE CHARITATE.

I. Charitas Societatis proprium habet, ut omne genus hominum, (9) omnes nationes complectatur, et omnibus modis (10)

(1) P. IV. Cap. X. B. et P. IX. Cap. III. §. 8. et D.
(2) P. III. Cap. I. §. 21.
(3) P. VI. Cap. I.
(4) In Prooem. declar. et P. X. §. 13.
(5) P. III. Cap. I. §. 28.
(6) P. III. Cap. I. §. ult.
(7) P. III. Cap. I. §. 28. et P. X. §. 13.
(8) In Off. Prov. Cap. XIV. Reg. 130.
(9) P. X. §. 2.
(10) P. IV. in Prooem. decl.

ac mediis quibus potest eas juvet. Hinc est quod omnibus se (1) amabilem reddit, et omnibus omnia fit, ut omnes Christo lucrifaciat. Unde et linguam eamdem, et (2) mores, et habitum illorum induit, atque quoad fieri potest imitatur.

II. Charitas Societatis est (3) ordinata, et in hoc præcipue excellit, quia semper præfert alteri quod præferendum est; qui ordo charitatis mensurat omnia nostra ministeria ut vel suscipiat, vel deponat, vel alteret, vel ad hoc magis quam ad illud se applicet. Unde, qua mensura Nostri uti debeant in suis functionibus, ut major Deo gloria deferatur, et totam hanc praxim, colligimus ex tota VII. Parte Constitutionum.

III. Charitas (4) Societatis maxime divinam æmulatur, ut numquam nec peccato, neque injuria, neque morbo ullo licet gravissimo vitii alicujus vincatur, aut minuatur, aut perturbetur, immo potius augeatur, immo occasionem ex hoc accipiat magis juvandi, inquirendo media ad id, et ex ipsismet defectibus occasionem sumendo ad salutem ipsorum, sicut Deus solet ex malis bonum colligere. Hinc sequitur, illam esse summe industriosam ac providam, nec ex eventu pendere, sed adhibitis necessariis mediis semper persistere, et superare omnia, animi æqualitatem retinendo, ita ut neque tristitia contrahatur, neque efferatur lætitia. Patet hoc ex iisdem locis.

IV. Novit suo tempore permiscere cum severitate benignitatem oleum et vinum.

V. Ex hac tam excellenti charitate propriissimus est Societati (5) sincerus zelus animarum, quo (6) affecti esse debent vel ipsi Candidati Societatis nostræ.

VI. Charitas autem hæc primo omnium debet esse erga (7) Societatem totam et Institutum, pro quo quilibet debet

(1) P. IX. Cap. II. §. 2. et in Reg. com.

(2) P. IV. Cap. VIII. §. 2

(3) P. VII. Cap. II. D. E.

(4) Vit. P. Ignatii. Lib. 1. Cap. XXI. Maff. et Lib. V. Cap. X. et per totum Ribad.

(5) P. X. §. 2.

(6) P. I. Cap. II. §. 8.

(7) P. VIII. Cap. I. §. 8.

esse (1) paratus ad mortem; quod etsi de Generali dicitur, tamen de omnibus intelligendum est; de quo in capite de affectu erga Institutum supra.

VII. Deinde erga (2) singulos inter Nostros, præcipue erga (3) Superiores, et eos qui sunt diversarum nationum. Et ad hanc conservandam et augendam, multa providit Pater Ignatius in Societate. 1. Noluit (4) admitti homines aliarum Religionum ut omnes essent veluti unius coloris et similitudinis. 2. Vult expelli (5) ut pestem, divisionis vel dissensionis auctores. 3. Uniformitatem (6) esse in omnibus, tum in lingua et idiomate, tum in doctrina, tum in judicio practico rerum agibilium, tum in cæremoniis Missæ, vestitu, modo agendi cum pœnitentibus (7) et reliquis proximis in omnibus ministeriis, quoad ejus fieri potest. 4. Communicationem litterarum ultro citroque missarum, et permixtionem nationum. 5. Crebros (8) sermones, et exhortationes ad mutuam charitatem. 6. Vult detegi (9), et corrigi invicem defectus, manifestari tentationes aliorum cum opus est ad correctionem; secus (10) vero celari et contegi, ita ut etiam de his, qui dimittuntur, quantum fieri potest, bene (11) sentiatur, et dicatur, immo et dimittantur (12) bene affecti erga Societatem.

VIII. Erga proximos vero qualis debeat esse charitas Nostrorum, mensura esse potest ipsamet illa inter Nostros, ut sua proportione ita nos erga illos geramus, sicut inter Nostros facimus, quod dicere solebat (13) P. Xaverius. Unde præcipue Confessa-

(1) P. IX. Cap. II. §. 5.
(2) P. VIII. Cap. I. §. 8.
(3) P. VI. Cap. I. § 2.
(4) Exam. Cap. II. §. 6.
(5) P. VIII. Cap. I. §. 5.
(6) P. VIII. Cap. I. §. 8. et 9. et P. III. Cap. I. §. 18 et P.
(7) Reg. Sacerd. 10.
(8) P. III. Cap. I §. 21.
(9) Exam. Cap. IV. §. 8.
(10) P. II. Cap. III. §. 8.
(11) Ibid. §. 9.
(12) Ibid. §. 6.
(13) Litt. ex Japone Goam.

rii et qui cum proximis agunt, debent mensurare suam erga illos charitatem et Sollicitudinem in juvando illos ex ea, qua utuntur Superiores Societatis erga Nostros.

IX. Ad hanc charitatem erga proximos conservandam et augendam providentur multa in Societate. 1. Præcisio litium (1) quoad fieri potest. 2. Non examinari (2) in judicio. 3. Non (3) examinare ordinandos. 4. Non admittere (4) sepulturas. 5. Neque concurrentiam (5) cathedrarum, immo neque ad hoc suffragia ferre. 6. Non admittere homines aliarum Religionum, ne illæ offendantur. 7. Demum omnia vitare, ex quibus aliqua proximi offensio consequi possit, vel diminutio charitatis.

X. Fines sunt : 1. Conservatio (6) Societatis in unione. 2. Major (7)proximorum utilitas.

DE VIA UNITIVA.

I. DE FIDE.

I. Adeo propria est nostri Instituti Fides, ut Summi Pontifices (8) posuerint finem Societatis Catholicæ fidei et Religionis propagationem et defensionem, quod etiam communis quedam conceptus cum ipsa Societate natus videtur confirmare, nedum Catholicorum, sed etiam hæreticorum et infidelium. Hinc est quod prima Patrum nostrorum intentio fuit adire Hierosolymam ad infideles convertendos, et ad hoc voto se obstrinxerant; quo cessante ad nutum Pontificis se devoverunt ad omnes nationes juvandas, sive fideles, sive infideles, etiam per longa et difficilia itinera, et inter vitæ discrimina apertissima, objiciendo sese tanquam firmissimum Fidei propugnaculum,

(1) P. VI. Cap. II. §. 12.
(2) Ibid. Cap. III. §. 8.
(3) Can. 29. Cong. II.
(4) Can. 8. Cong. I.
(5) Can. 118. Cong. I.
(6) P. VIII. Cap. I. §. 8.
(7) P. III. Cap. I. §. 18. et lib. 5. Vit. P. Ignat. Cap. II. Ribad.
(8) Bulla I. Pauli III. et Const. Greg.

atque ad sanguinis (1) effusionem, quasi proprii sanguinis prodigi adversus ejus omnes hostes, et oppugnatores.

II. Inde cavit P. Ignatius in Constitutionibus, ne homines ad Societatem admitterentur, (2) qui aliquando ab Ecclesiæ fide recessissent, vel de hæresi suspecti fuissent, vel schismatici spreta auctoritate et providentia Sanctæ Matris Ecclesiæ.

III. Eorum vero qui admissi sunt proprium est, non solum de præcipuis fidei Mysteriis altum habere conceptum, et de illis pro dignitate et sentire et loqui, exaltando illa quoad fieri potest, sed etiam minima quæque ad Fidei pietatem spectantia magni facere, et aliis etiam ingerere, ut de illis alte sentiant. Sic candelas in templis accendi solitas, et omnes ecclesiasticas (3) cæremonias, et devotionis adminicula, et collaudare, et tueri et introducere, quoad opus est, vel restituere ubi collapsæ fuerint, proprium sibi ducit Societas. Qua (4) in re etiam ab iis incipit, quæ remotissima videntur, et a longe huc spectare, non secus ac hæretici ipsi ad oppugnandum fecisse videntur.

IV. Huc spectat eruditio doctrinæ christianæ ad fundamenta Fidei propaganda ad omnes, ut expresse dicitur in (5) Bullis. Huc etiam cautela ad litteras (6) hebræas perdiscendas nonnisi ab his, qui Schoslasticam didicerent, et Doctorum Sanctorum, et Ecclesiæ decisiones intellexerint. Et similiter ut ne SS. Patres legantur, nisi ab his qui securi sint, ne ullum Fidei patiantur periculum. Quin etiam ob eamdem rationem prohibiti sunt in Societate omnes libri, et auctores (7) suspecti, ne sensim irrepant, et illabantur in animum errores aliqui contra Fidei puritatem. Præterea vult (8) Societas eam doctrinam sequi Nostros in Theologia et Philosophia, quæ Fidei magis faveat, eique conformior sit, propterea nedum solidam, sed etiam piam, et

(1) Breve II. Pii V.
(2) Exam. Cap. II. §. 1. B.
(3) Reg. 6. ut cum Orthod. Ecclesia sentiamus in lib. Exerc.
(4) In omnibus aliis Regulis ubi supra.
(5) Bulla I. Pauli V.
(6) P. IV. Cap. VI. §. 6. D.
(7) P. IV. Cap. XIV. §. 1. A.
(8) P. IV. Cap. V. §. 4.

quæ ædificet. Hinc est (1) quod Sanctorum Patrum et dicta et scripta, et auctoritatem, et tuentur pro viribus, et sequuntur Nostri. Scholasticam (2) item doctrinam, et collaudat, et cumplectitur contra hæreticorum morem. Illud vero (3) ab instituto nostro maxime alienum, contra Principes et Prælatos oblatrare, quod hæreticis familiare est, et similia.

II. DE SPE.

I. Hæc quoque virtus valde propria est Societati, scilicet ut quamvis omnia media sollicite perquirat et adhibeat ad suum finem omnibus suis ministeriis et functionibus assequendum, ita tamen divinæ spei nitatur, ac fidat, quasi nulla illa essent humana quæ comparavit præsidia, ut (4) quæ solum ea mente illa adsciverit, ut divinæ providentiæ, quæ suarum exigit cooperationem creaturarum cooperaretur.

II. Hæc autem spes, qua a divina Providentia pendemus, veluti fundamentum est in (5) omnibus, et præsertim in obedientia perfecta Societatis. Atque hinc est etiam cur omnibus se privat in pertinentibus ad paupertatem, et similibus, præsertim Professa Societas, ut nihil habeat, quod minuere possit singularem illam spem in Deum; quo spectat etiam non petere viaticum eos, (6) qui ad Missiones destinantur, immo vero (7) mendicare, (8) operarios item Nostros nullum habere stipendium. Atque hanc spem tam egregiam nedum in admissis ad Societatem, sed etiam in admittendis requirit P. Ignatius (9), quod patet ex his, quæ præcipit de bonorum renuntiatione, cum opus est. Unde ad hujus spei regulam et mensuram solet

(1) P. III. Cap. I.
(2) Reg. 2. ut cum Ortod. Eccl. sent.
(3) Reg. 10. ubi supra.
(4) Prœom. Constit. §. 1. et P. IV. Cap. VIII. §. 8.
(5) P. VI. Cap. I. §. 1.
(6) Exam. Cap. IV. §. 27.
(7) Ibid. §. 12.
(8) Ibid. §. 27.
(9) Exam. Cap. IV. §. 1.

P. Ignatius mensurare omnia, quæ ad paupertatem nostri Instituti pertinent, ut scilicet ea intelligantur esse vel opposita et adversantia, vel consentanea, quæ hanc spem et in Deum fiduciam ullo modo vel retinent, vel levissime lædunt.

III. Hujus porro virtutis summa est in Societate necessitas, quia cum multa habeat opera in suo Instituto, tam in se quam in proximos, ardua et difficillima, quæ aggrediatur et urgeat, ad quæ humanæ vires et præsidia minime sufficiunt, necesse est illam egregiam et eximiam ad Deum spem habere, ut illa sustinere possit, et ad finem suum perducere. Atque hæc est potissima (1) causa cur tam frequens est ad difficilia quæque, et ad gubernationem præcipue, recursus ad Deum per orationes et sacrificia, ad Dei gratiam impetrandam, etc.

III. DE CHARITATE.

I. Ut maxime est propria charitas erga Deum in Societate, ita præstantissima esse debet et absolutissima, ut quæ finem habet altissimum, et arctissimam unionem et familiaritatem cum Deo, quæ viæ unitivæ summus est apex. Atque hinc est, cur tam excellentem requirat nostrum Institutum purgationem per mortificationis species supradictas, et præcipue totalem abnegationem non solum amoris mundi et sensualis, sed etiam, et vel maxime, universi amoris proprii, et cur tantum studium virtutum ac perfectionis in suis postulet, ut nihil illius prætermittant quantum divina gratia consequi possunt. Atque in hoc Deum maxime æmulatur Societas, ut charitatem non privatam, sed universalem habeat erga omnes; ut enim Deus ex charitate sua in operationem externam exit, omnibus creaturis se communicans et benefaciens; ita Societas per hanc charitatem, qua Deum prosequitur, ad omnium auxilium et salutem procurandam procedit.

II. Unde charitas hæc Societatis non est otiosa, sed actuosa et operativa. Immo vero per operationem potius et efficacius et

(1) P. IX. Cap. VI. §. 1. A.

compendiosius gignitur, et nutritur, et augetur, quam per alia media solitudinis, et secessus, et prolixæ contemplationis. Et ex hoc est, cur Societas suos prohibet a prolixioribus orationibus et meditationibus, et Scholasticos præcipue a frequentioribus communionibus, ne revocentur ab operatione, quæ ad salutem proximorum procurandam est instituta mediate, vel immediate quod dicetur etiam de studio cui vacant Schoslastici, aut Operarii ad eumdem finem. Atque hanc rationem actuosæ charitatis nedum in Societatis hominibus cernere est, sed etiam in externis, quorum ipsa auxilio vacat, qui hunc spiritum videntur a Nostris sugere, ut non propria solum contenti sint salute, sed etiam aliorum procurent per doctrinam christianam, per exhortationes ad frequentiam Sacramentorum, etc. Ex quo, tam in Nostris quam in externis devotis circulis ille existit, ut et ex charitate erga Deum ardentior fiat illa quæ est ad proximum, et ex hac similiter illa magis accendatur. Unde signum esse potest in Nostris charitatis erga Deum, cum videmus operari illos erga proximum; ut contra qui se ab hoc revocant, signum est teporis hujus divinæ charitatis, et quod erga Deum non ardeant.

III. Ex his patet qualem viam unitivam habeat Societas, et qualis sit unio cum Deo, quam nostri Instituti ratio postulat; nimirum eam, quæ supposito virtutum omnium studio et comparatione, et animi atque affectuum compositione, juxta divinum beneplacitum in operando se exerceat ad proximorum salutem. Unde nostris hominibus propriissimum est, ut non tam per solitudinem, aut similia, quam per ministeria nostra Dei unionem acquirant, quod aliis fortasse non ita eveniret, qui non ex Instituto id facerent sicut Nostri; cujus spiritu videntur etiam nostræ distractiones (cum non voluntariæ sunt, sed necessariæ et operationi, quæ nobis a Deo ad hoc ordinata est, conjunctæ) sanctificari. Ratio autem cur nostra unio cum Deo per hanc operationem magis acquiratur quam per solam contemplationem, est quia operatio nostra provenit ex virtute, quæ non solius activæ est propria, sed mixtæ, quæ cum perfectior sit, ita perfectius habet medium ad hanc unionem : nimirum

hanc unionem in Nostris producunt perfectissimæ virtutes, idest hæ, quæ non solum perficiant subjectum quoad se, sed etiam quoad alios, quod est expressa imitatio Dei et Christi.

IV. Hinc etiam patet, altissimam esse unionem cum Deo in Societate, et perfectissimam, et hoc duabus rationibus potissimum. 1. est, quia invenit Deum in omni opere, et per omnia media omnium virtutum, et ei se unit per illa tam alte, quam per contemplationem, immo fortasse altius, ut ex dictis patet. 2. quia per operationem vacando omnibus virtutibus et actibus illarum, præsertim cum abnegatione proprii judicii et amoris proprii, redditur subjectum magis purgatum, et consequenter magis dispositum ad divinam unionem, quod in solitudine sæpe non contingit, quia non tam exstirpantur radicitus vitia et imperfectiones, quam sopiuntur et celantur. Quare istæ operationes disponunt vincentem ad altiorem charitatem.

V. Hinc sequitur etiam, quod per hanc charitatem operativam et unitivam cum Deo, tamquam omnium arctissimam Societas altius et aptius disponitur, et compendiosius ad mysticam Theologiam, et ut divina patiatur in voluntate, et Deus operetur in illa.

VI. Hinc etiam est, neminem de Societate debere terreri, aut revocari ab operatione tamquam a minus apta ad obtinendam unionem, et potius distractiva ab ea, maxime quando tempore majoris devotionis, ut in Hebdomada sancta, vacare debet audiendis confessionibus et turpibus; quia per istas operationes, ut dictum est, cum ex Instituto fiunt (quia bene et ex altissima charitate fiunt) maxime perducuntur homines ad Deum existentem quasi et latentem in illis caliginosis operationibus, et ista Ministeria nedum ab unione cum illo revocant aut elongant, sed magis cum eo conjungunt et arctant, quia sunt operationes subjecti optime dispositi et apti per illam charitatem, ut Deus illi uniatur.

VII. Modi vero quibus uniri cum Deo Nostri et possint, et debeant, quatuor habentur in (1) Contemplatione ad amorem

(1) In Exerc.

spiritualem in nobis excitandum in Exercitiis. in quatuor punctis. Unde et praxis elici potest unionis.

IV. DE ORATIONE.

I. Orationis studium maxime proprium esse Societatis, vel ex eo patet, quod Constitutiones sæpe requirunt spiritualium rerum studium ac devotionis exercitia, familiaritatem cum Deo et communicationem, quæ cum in omnibus exigunt. tum vero maxime in (1) Generali, et (2) Rectoribus.

II. Proprium est Instituti, quoad hanc orationem, habitum ejus acquirere talem, ut inter tot distractiones et impedimenta negotiorum, occupationum, et ministeriorum, facile possit per illum mens elevari in Deum, et ab eo tanquam a fonte gratias haurire necessarias.

III. Oratio vero nostra non tendit ad propriam consolationem propter quam solitudinem affectet, sed habet intrinsecam relationem ad operandum, et eo animo atque conatu fieri debet, ut per eam aptius instrumentum fiat ad opus, a quo non retrahit oratio, immo vero vires suggerit et impellit ad illud, et signum bene orantis est (3) fervor operis.

IV. Oratio nostra debet esse cum summa annihilatione et expropriatione, etiam (4) quoad gustus spirituales et illuminationes, sive illa modica sit, sive multa, juxta vires et occupationes, sive exaudiatur, sive non, sive cum ariditate, sive aliter cedat.

V. Proprium Nostrorum est, ut extra tempus ordinarium facillime elevari in Deum possint per jaculatorias orationes, et hoc etiam in mediis operationibus, ut de P. Ignatio habetur, qui in benedictione mensæ, in aspectu florum, facillime elevabatur in Deum ; atque ita non minus unientur Nostri cum Deo in actione, quam in ipsa meditatione.

VI. Proprium nostræ orationis est, ut sit cum directione

(1) P. IX. Cap. II. §. 1.
(2) P. IV. Cap. X. §. 5.
(3) P. III. Cap. I. §. 10.
(4) P. III. Cap. I. §. 10.

Superioris ad vitanda multa pericula, et præcipue proprii judicii et obdurationis. quam affert secum nimia aviditas et assiduitas orandi ex proprio dictamine, ut experientia docet; et solebat (1) P. Ignatius dicere, homines hujusmodi, orationi immoderate deditos, esse solere proprii capitis.

VII. Oratio nostra non tam nascitur ex solitudinis occasione, aut devotione, aut privato studio et proprio conatu, sed potius ex ipsa cordis mortificatione ac puritate affectus, unde ex ea debet oriri, et mensurari vigor ejus et intensio. Et P. Everardus dicere solebat, pluris esse apud Deum parum orationis viri valde mortificati, quam multum alterius. Sic regula orationis est (2) mortificatio, non e contra. Unde et perfectio nostræ orationis sumenda est. non ex externo quodam fervore, lacrymis, et similibus, sed ex submissione animi, et mortificatione perfecta, qua subjiciatur obedientiæ, etc.; nam patet, primum illud posse constare cum vivis passionibus et multis imperfectionibus, quod est alienum a perfectione nostri Instituti, et orationis perfecti viri. Unde fit, in Societate æquam, immo majorem curam haberi duorum examinum, quam matutinæ meditationis, (3) cum in hac dispensatio admittatur, non in illis; propterea quod nostra oratio magis tendit ad purgandum, quam ad consolationes et similia; examina vero primo ac per se et immediate purgationem illam spectant.

VIII. Proprium est nostræ orationis, non habere certam quamdam normam præscriptam, ac semper eamdem a qua pendeat, quod incipientium est; sed talem debet habere habitum, ut pertingat modum, qui cuique conveniat, et si opus sit sciat mutare aliquando vel minuere, vel vocaliter, vel mentaliter, et dispicere cum discreta charitate, quid hac in re expediat, ita ut non egeat ulla particulari regula præscripta, sed ducatur arte (4) et methodo perfecta. Et hinc habet Societas varios modos orandi pro capacitate singulorum.

(1) Lib. 5. Cap. I. Vitæ P. Ignat. Ribad.
(2) Lib. 5. Cap. I. Vit. ejusdem
(3) P. IV. Cap. IV. §. 4. B.
(4) P. IV. Cap. IV. §. 4. et P. III. §. 1. et 20.

IX. Proprietates nostræ orationis ex nostris Exercitiis potissimæ duæ sunt. Altera, quod totam fabricam nostri Instituti, quæ habetur in Constitutionibus, et opere ac exercitio expletur executionique mandatur, hanc, inquam, totam fabricam menti ac voluntati per formas illas orandi imprimit per communicationem immediatam cum Deo; ita ut primo totum Institutum Societatis Nostri haurire debeant immediate a Deo, per Exercitia spiritualia, ut patet in fontibus; nimirum ex via purgativa virtutes colligere quæ sunt propriæ Novitiatus, et modum procedendi Instituti pro illo statu; ex via illuminativa, præsertim de Regno Christi et duobus vexillis illas eruere, quæ ad reliquos pertinent, per formam illam Instituti, quam ipsamet Exercitia repræsentant ac exprimunt; ex via unitiva, maxime ad perfectos accommodata. Et fortasse ideo a P. Ignatio Exercitia spiritualia ponuntur primum experimentum, ut hi qui primo ad Societatem veniunt, spiritum ebibant ejus Instituti per studium orationis; deinde per reliqua media in illo proficiant ac progrediantur; deinde per Constitutiones illud doceantur; demum opere ipso ac experimento expleant et discant. Altera proprietas est, quod nostra oratio non solum habet pro scopo virtutes ad meditandum, et ut illas impetret, sed per ipsum orationis exercitium et usum, tamquam per potissimum instrumentum, et in illa ipsa virtutes exerceat et acquirat. Unde maxima ex parte occupatur in actibus earum elicitis, ut pœnitentiæ ac mortificationis in prima hebdomada, in secunda et aliis, virtutum aliarum omnium, et maxime earum quæ sunt nostri Instituti. Nam sicut tota die vacare debemus studio nostrarum virtutum operando, sic in oratione eisdem debemus incumbere intense orando. Charitatem autem summam exercemus per viam unitivam. Unde sequitur, quod studium in nostra oratione debet esse maxime in labore et conatu virtutum, et propterea P. Ignatius in Exercitiis vult fieri reflexionem fructuosam ad seipsum ab eo qui meditatur. Quare non in consolationibus ac fervoribus sita est. Et est nostra oratio propterea laboriosa, practica, et omnium virtutum acquisitiva, et est quodammodo magis Martha, quam Maria, seu potius magis contemplatio ef-

ficax ad impetrandam et acquirendam virtutem; est activa, quia virtutes orando acquirit per usum ipsarummet in oratione.

X. Proprium erit nostræ orationis non solum ad propriam salutem, sed etiam ad aliorum procurandam referri. Unde orant Nostri pro proximis, maxime vero pro Principibus et Prælatis (1) et aliis similibus.

XI. Scopi sunt, sumere vires operandi, (2) impetrare dona ad fructum ministeriorum, gratias agere pro beneficiis, Societatis conservatio et incrementum, consulere cum Deo agenda per viam electionis, et communicare omnia cum Deo, juvare benefactores oratione, idest esse gratum, ut supra.

XII. Praxis. Regula discretionis in oratione erit, ut duo vitentur extrema, alterum, ut non intepescat ejus studium, alterum ne nimium sit, et ab opere (3) revocet.

V. DE DEVOTIONE EXTERIORI.

I. Proprium est Societatis ut colligitur ex 3. et 4. Addit. Exerc. ut externa devotio, quantumvis excellens sit, ex interna procedat.

II. Item ut sit valde accommodata ædificationi proximorum, et hoc valde spectat, ut colligitur ex 2. notabili Add. 10.

III. Ut externo cultu sequatur maxime normam et ritum Ecclesiæ Romanæ, et disciplinam Ecclesiasticam Canonum et antiquorum Patrum.

IV. Ut non solum commendet ornatum Ecclesiarum, Altarium, etc., ut habetur Regula 6. ut cum Orthodoxa Ecclesia sentiamus, sed quantum fieri potest ut habeatur ratio in omnibus Divini cultus, ut patet in Regulis Æditui, et usu Societatis.

V. Quod quamquam nostræ habitationes paupertatem redolere debent; moris tamen est, ut Templorum ædificia magni-

(1) P. VII. Cap. IV. §. 3. et Lib. 5. Cap. I. Vitæ P. Ignatii Ribad.
(2) P. IX. Cap. I. §. 4.
(3) P. VI. Cap. III. §. 1.

fica sint et splendida ex Can. 2. Cong : 1, et in ea parte Templi, quæ divino cultui proxime præsertim dicata est, ut sunt Altaria, Tabernacula, Pixides, Sepulchra, Lumina, nihil prætermittatur, quod ad munditiam et splendorem pertineat, quoad ejus fieri potest. In reliquo vero corpore curatur omnis modestia, et decentia religiosa, atque id multo magis in Sacello. Denique ut omnia devotionem excitent et ædificationem, omissis inutilibus expensis ac sumptibus; præcipue vero horum omnium ratio diebus festis et solemnioribus habetur.

VI. In omnibus maxime spectat, ut fiant et componantur insigni cum harmonia et architectonice, quod maxime proprium est Societatis, cum homines habeat ingeniosos, industriosos, morum nobilium, magni animi ac splendidi, diversarum nationum, qui ex singulis regionibus colligunt meliora, apum more, sibique invicem communicant.

VII. Ritus observat, qui maxime decent, nobiles, graves, et urbanos, et concinnos citra ullam affectationem, in officiis, cultuque divino. Atque ideo non permittit Sacerdotes Novitios publice celebrare, donec coram aliquo vel pluribus domesticis privatim Missam dixerint, et admoneantur, ut in modo dicendi conveniant cum aliis de (1) Societate, et ad morem regionis, et ædificationem illorum qui eam sunt audituri se (2) componant. Unde P. Ignatius clara voce in Missa utebatur more italico, etiam cum illam celebraret in privato (3) Sacello. Quare conformitatem maxime procurat in omnibus, ad usum tamen (4) romanum quoad potest accommodatam.

VIII. Quod vero officia divina publice non profiteatur ac celebret, non id facit, quia divini cultus curam minime gerat, sed ut proximum in rebus magis necessariis juvet, quod facere impediretur, si illis vacaret ex professo, quamquam, ubi opus est ad eumdem finem, (5) ea non prætermittantur.

(1) Exam. Cap. V. §. 7.
(2) P. IV. Cap. VIII. §. 2.
(3) Vit. P. Ignat. L. 3. C. XII. Maff.
(4) Ibid. et P. VIII. Cap. I. §. 8.
(5) P. VI. Cap. III. B. et Can. 9. Congr. III.

IX. In Officio vero divino, quod privatim dicunt, debent Nostri curare, ut (1) attente, devote, et opportuno tempore recitent. Demum curat Societas, ut non modo Sacerdotes apposite celebrent, verum etiam Ministri id ipsum præstent in ministrando.

DE HIS QUÆ PERTINENT AD PROXIMORUM SALUTEM ET PERFECTIONEM PROCURANDAM.

Hactenus de his, quæ ad propriam Nostrorum salutem et perfectionem spectant, disseruimus. Nunc sequitur de his præscribere, quæ ad procurandam salutem proximorum faciunt; atque huc spectant forma agendi cum proximis, deinde ministeriorum nostrorum usus, atque in his quæ sunt nostri Instituti propria, præcipue quærimus. Nunc ergo de primo.

I. DE FORMA AGENDI CUM PROXIMIS.

Hanc vult nostrum Institutum tanquam proprium ipsius donum, ut patet in (2) Constitutionibus, in quibus suis notis describitur. (3) Ad quam præter ea quæ in singulis officiis præscribuntur, ut Sacerdotum, Concionatorum, Missionum etc., hæc quæ sequuntur magnum videntur posse affere adjumentum.

I. Vult P. Ignatius in ingressuris naturalem quamdam discretionem in agendo, aut indolem ad eam acquirendam, item sermonis gratiam cum proximis, honestam speciem, hoc est (4) carere defectibus illis, quos horreant alii, aut qui ingratum reddant hominem, tam quoad corpus, quam quoad animam, quod idem in Operariis Ministeria Societatis exercentibus multo magis necesse est, ut habetur P. VII.

II. Et præter hanc habitudinem, quam ex natura requirit, aliam etiam postulat, quæ studio comparatur, et 1. (5) remotio-

(1) Reg. 2. Sacerd.

(2) P. X. §. 3. et P. IV. Cap. VIII. §. 8.

(3) P. IX. Cap. II. §. 6.

(4) P. I. Cap. II. §. 6. 9. et 10.

(5) Ribad. Lib. 5. Vitæ P. Ignat. Cap. X.

nem vitiorum aliquorum, præcipue inanis metus, ambitionis. voluptatis et iræ, et ad quæ præsertim quis inclinatur. 2. Virtutes jam dictas, præcipue humilitatem (1) quæ ad benevolentiam acquirendam maxime confert, cum scientia tum speculativa, tum practica, demum experientiam et artem.

III. Non ducatur Operarius Societatis spiritu revelationum, qui illusionibus sæpe patet, sed (2) recta ratione, et Fidei lumine et virtutum illustrata.

IV. Nitatur præcipue divinæ gratiæ, spiritui vocationis. et orationi, ut patet in (3) Missionibus, tum vero adhibeat instructiones exactas, et omnia alia (4) media.

V. Vitet duo extrema, alterum, ne nimium suæ perfectioni vacet, ita ut a proximorum spirituali (5) auxilio juxta nostri Instituti rationem alienetur, alterum, ne taliter se in illorum effundat auxilium, ut ea quæ ex Instituto tenetur agere ad propriam perfectionem acquirendam (6) prætermittat, ut orationem, examina. etc. Noverit tamen Deum in se relinquere, ut in proximis inveniat, et in iisdem proximis charitatem Dei invenire, et privata aliqua ac propria spiritualia bona (7) relinquat, ut proximos juvet.

VI. Hæc autem omnia agat cum communicatione et directione et (8) Superiorum in Societate, et item Episcoporum, et (9) Principum ubi opus est, propter concursum singularem Dei cum illis in suis officiis, et demum consulat eos a quibus se posse juvari in suis ministeriis (10) existimet.

VII. Quoad prudentiam in agendo hæc omnia videntur maxime conferre: 1. Ut agat ex arte, non quacumque, sed alta

(1) P. IX. Cap. II. §. 2. et Lib. 5. Vitæ P. Ignat. Ribad. Cap. III.
(2) P. I. Cap. III. §. 12. et Lib. 5. Vit. Cap. X.
(3) P. VII. Cap. II.
(4) P. IV. Cap. VIII. §. ult.
(5) P. VI. Cap. III. §. 2.
(6) Reg. 25. et 26. Miss.
(7) Lib. 5. Vit. Cap. II.
(8) P. XII. Cap. I. §. 5. F. et G. Cap. II. §. 2. L.
(9) P. VII. Cap. I. F.
(10) Regul. Miss. 8.

tanquam architectus, habita ratione finis Societatis et mediorum ut supra dictum est de fine. 2. Ut alta spectet, altiora semper concipiendo et pro viribus curando. 3. Ut notitiam habeat quam exactissimam regionis, nationis, urbis, modi gubernandi, morum gentis, statuum, affectuum, et similium, et hoc ex historiis et consuetudine familiari, ex peritis illius gentis etc. 4. Ut discretione spirituum (1) polleat quoad potest, quo possit multis necessitatibus spiritualibus consilium et remedium adhibere pro cujusque capacitate et varietate. 5. Sciat sancte et circumspecte dissimulare, quando opus est. 6. Nimiam vitet prudentiam, qua sæpe (2) præterlabuntur occasiones, vel impediuntur bona, cum nimis subtiliter et ad minutum expenduntur singula. 7. Æquabilem (3) se præbeat in omnibus eventis, postquam debitam adhibuit diligentiam. Sanctos Angelos, immo Deum hac in re imitetur.

VIII. Quoad proximos vero cum quibus est tractaturus: 1. proponat sibi, se cum (4) ægris, immo phræneticis tractaturum, non cum sanis. 2. Non se præferat severum censorem aliorum, sed se omnibus benevolum præbeat. 3. Toleret defectus aliorum, et quasi exsorbeat. 4. Item accomodet se omnium moribus, omnia omnibus factus, quantum deceat. 5. Demum demereatur animos illorum quibuscum agitur, sua quemque ratione, ut Principes submissione, pares facilitate et suavitate morum, (5) inferiores auctoritate et opera. 6. Accipiat ab unoquoque id quod haberi potest, ut si non potest majus bonum obtineri, habeatur minus, et a quibus non potest consilia, (6) saltem præcepta; quando vero non possunt bona obtineri, saltem curet mala vitari, et si non omnia, saltem aliqua, ut de P. Xaverio, qui multas pellices cuidam abstulit paulatim, et de (7) P. Ignatio in juvan-

(1) P. IX. Cap. II. §. 6. et P. VII. Cap. II. F.
(2) Lib. 5. Vit. P. Ignat. Ribad. Cap. 11.
(3) Lib. 5. Vit. ejusd. Cap. II. in fine.
(4) Lib. 5. Vit. ejusd. Cap. II. circa medium.
(5) Maff. Lib I. Cap. XXI. Vit. P. Ignatii.
(6) Maff. Lib. III. Cap. 11.
(7) Ribad. Lib. 5. Cap. IX.

dis meritriculis. 7. Non metiatur fructum ex naturæ facilitate, immo (1) pluris faciat in difficili natura parum, quam in facili multum. 8. In vitiis non sistat in sola emendatione, sed penetret illorum radices, et usque ad fibras evellere studeat ; in virtutibus vero majorem semper progressum procurare, cum hoc sit proprium Instituti nostri, et ideo non sit contentus externa quadam specie eorum quæ foris tantum patent, ut sunt jejunia, et austeritates aliæ. 9. Suo quemque (2) hamo capiat, proponendo ambitiosis splendida, avaris utilia, voluptuosis jucunda. 10. Videat instructiones eorum, qui de ministerio quod aggreditur bene tractarunt. 11. Imitetur excellentiores in eo talento. 12. Conferat cum aliquo perito illius talenti et ministerii. 13. Habeat bonum censorem. 14. Reflexione utatur, super ministerio peracto. Et hæc ex (3) IV. Parte.

IX. Quoad modum et ordinem agendi cum proximis: 1. Imitetur artes dæmonis, quoad licet et fas est, ut quibus ipse ad perdendas animas utitur, easdem ad salvandas transferamus, ut naturas prius (4) exploremus, tum media accomodemus ad captum earum 2. Debet imitari (5) Angelum bonum, ut scilicet eum teneat stilum, quem ille solet usurpare, videlicet confortando, illuminando etc. 3. Non se totum (6) effundere, sed sensim procedere in proximis juvandis, caute item, et cum dexteritate. 4. Occasiones (7) observare et arripere oblatas, quia dicebat P. Ignatius nos debere accommodare tempori, et illi servire, non e contra tempus sibi accommodare. 5. Sermonis (8) initia dare alteri, extrema sibi servare, quod italice dicitur *entrare con la loro e uscire con la sua*. 6. Expendere (9) verba tanquam publicanda, et ab aliis expendenda, etiam malevolis. 7. De divi-

(1) Ribad. Lib. 5. Cap. X. Vit. P. Ignatii.
(2) Maff. Lib. III. Cap. II.
(3) P. IV. Cap. VIII. §. 3. 4. 5. 6. 7. B. C. D. E.
(4) Reg. ult. de discret. Spirt. in Exerc.
(5) Reg. 2. 3. et 4. I. hebdom., et Annotat. 7.
(6) Maff. Lib. I. Cap. II.
(7) P. IV. Cap. VIII. §. 8. et Lib. 5. Vit. Cap. X.
(8) Maff. Lib. III. Cap. II.
(9) Ribad. Lib. 5. Cap. X.

nis (1) cum gravitate. et majestate agere, nec ad satietatem. 8. Amara condire pro viribus. 9. Quæ quis expertus est in se, illis utatur mediis, proportione qua decet, ad proximos juvandos. 10. Zelo utatur (2) discreto, ne nimiis fervoribus agatur, ut qui omnia simul reformare prætendat.

X. Quoad opera vero : 1. delectum habere in operibus, cum omnia non potest præstare, ita ut spiritualia corporalibus præferat, perfectiora minus perfectis, utiliora minus utilibus, quæ urgent his quæ dilationem patiuntur, quæ peculiari modo ad nostrum Institutum pertinent his quæ non sunt ita propria, securiora minus securis, quæ facilius expediuntur his quæ difficilius, universaliora minus universalibus, digniora minus dignis, tam in rebus, quam in personis, quibus magis debemus his quibus minus, opera diuturniora minus diuturnis. Immo vero procuret, ut ea quæ aggreditur promoveat, ac perpetua faciat, ut facere solebat (3) P. Ignatius.

II. DE MINISTERIIS IN PARTICULARI.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Hujus ministerii quod tantopere commendatur in Bullis et in professione trium et quatuor votorum, et in formula votorum (4) simplicium Coadjutorum Spiritualium expresse ponitur; videtur esse proprium in ea docenda rudes personas ac pueros, ut non tantum rudimenta illa et prima elementa pueris instillet et doceat, ut in eo sistat quasi humi repens; sed extollat illud opus juxta nostri finis rationem, et per illud non solum puerorum et rudium personarum conversionem et perfectionem requirat, sed respectum habeat ad communem reformationem et bonum populi Christiani. Unde proprium erit Instituti multas et varias inventiones habere illam docendi, ut varia methodo ac præmiis, etc. Hinc etiam et captui, et pro-

(1) Maff. Lib. III. Cap. II.
(2) Ribad. Lib. 5. Cap. X.
(3) Lib. III. Cap. XII. Ribad.
(4) P. V. Cap. III. B.

fectui personarum se accommodat, et dum pueros docet, illud præcipue spectat, ut alios, et alliciat, et hac occasione instruat ad salutem.

DE CONCIONIBUS.

1. Hujus ministerii videtur esse propriissimum, ut primo omnes illæ dotes, quæ possent eximium reddere concionatorem, procurentur, ut (1) doctrina exacta ac solida, cum modo proponendi eam populo, studium linguæ vernaculæ concinnæ et elegantis ac propriæ habere, artem dicendi bene callere, in (2) voce, tono, gestibus, et motibus compositum esse, et denique omnia adminicula possibilia comparare.

II. Ita sit in spiritu Societatis fundatus, ut partes illas habeat et media, quæ cum Deo conjungunt ac disponunt, ut a divina manu recte gubernetur, et tanti ea faciat, ut priora veluti corpus, posteriora ut animum ducat.

III. Unde (3) lenocinia verborum et affectationem in gestibus vitet, promptum et facilem se exhibeat (4) ad docendos pueros et alios instituendos rudiores.

IV. Pro fine et scopo habeat fructum animarum, et doctrinam ex professo populo tradere, ubi opus est, quæ hæresibus, et abusibus temporis præsentis ex diametro adversetur. Item (5) abstinere a sugillatione Principum et Prælatorum, quod etiam adversatur directe spiritui hæreticorum, præcipue nostri temporis.

V. De lectionibus ad populum pomeridianis, de (6) quibus Part. IV. et VI. idem dicendum videtur, quod de concionibus, præterquam quod doctrina in eis requiritur exactior, et motus non ita patheticus, ut elicitur ex loco cit. P. IV.

VI. In exhortationibus, quæ minorem doctrinam, gestus et

(1) P. X. Cap. III.
(2) P. IV. Cap. VIII. §. 3.
(3) Reg. 20. et 22. Concion.
(4) Reg. Concion. 7. et Const. P. V. Cap. III. B.
(5) Reg. 12. ubi supra.
(6) P. IV. Cap. VIII. §. 5. B. et P. VI. Cap. III. B.

motus minus concitatos, et modum faciliorem ac simpliciorem, sed qui ad particularia magis descendat, et familiarem dicendi rationem requirunt, idem quod de concionibus dictum est (1) servetur, sua tamen servata proportione.

DE CONVERSATIONE.

Hæc adeo propria est nostri Instituti, ut eam initio vocationis suæ hausisse videantur primi Patres, et per illam maxime fructificasse, sicut et ipsi a P. Ignatio per hanc consuetudinem videntur ad Societatem allecti. Quare maximi facienda est tamquam (2) proprium instrumentum ad juvandos proximos, (3) eaque omnes, etiam Coadjutores temporales, nedum Scholastici, uti debent

Ad hanc autem maxime juvant inter alia quæ supra diximus de forma agendi cum proximis, et quæ habentur Lib. 5. Vitæ P. Ignat. cap. 10. et 11. ex Ribad. et in Libello Patris Fabri.

(1) Reg. Mag. Novit. 44.
(2) P. VII. Cap. IV. §. 8.
(3) Reg. Comm. 22. et P. IV. Cap. IV §. 6.

FINIS.

INDEX.

PROOEMIUM OPERIS.

Quod necessaria sit plena cognitio Instituti 1

CAPUT PRIMUM.

De sex principiis, ex quibus tota Instituti nostri ratio atque notitia eruitur 3

CAPUT SECUNDUM.

De ordine procedendi in hoc opere 6

PARS I.

De Fine Societatis . . . . *Ib.*

PARS II.

I. De virtutibus in communi 13
II. De divisione virtutum 22

DE VIA PURGATIVA.

I. De Pœnitentia 23
II. De Tentationibus 29
III. De Mortificatione 30
IV. De variis speciebus Mortificationis 32

DE VIA ILLUMINATIVA.

I. De affectu erga Institutum 40
II. De Indifferentia 45
III. De studio solidarum virtutum 48
IV. De progressu in virtutibus 50
V. De Directione 52
VI. De Obedientia 55

VII. De Paupertate 60
VIII. De Castitate 67
IX. De Temperantia 69
X. De Humilitate 71
XI. De Modestia 75
XII. De Linguæ moderatione 76
XIII. De Fortitudine 78
XIV. De exacta Observantia Regularum 79
XV. De Charitate 80

DE VIA UNITIVA.

I. De Fide 83
II. De Spe 85
III. De Charitate 86
IV. De Oratione 89
V. De Devotione exteriori 92

DE IIS QUÆ PERTINENT AD PROXIMORUM SALUTEM ET PERFECTIONEM PROCURANDAM.

I. De forma agendi cum proximis 94

II. DE MINISTÉRIIS IN PARTICULARI.

De Doctrina Christiana 98
De Concionibus. 99
De Conversatione. 100

Imprimatur.

Fr. Dom. Buttaoni O. Praed. S. P. A. Mag.

Imprimatur.

A. Piatti Patriarch. Antioch. Vicesg.





